paritas, & in naturalibus ideò forma est connatur aliter debita dispositioni, quamvis ipsa imperfectiori, quia est dispositio ad eam ex natura rei, non sic autem est in proposito, unde neque etiam valet assumpta paritas ex naturalibus deducta. Ex quo tandem patet primum argumentum propositum ab initio articuli nihil prorsus urgere, quia negamus contritionem esse ultimam dispositionem ex natura rei ad gratiam.

257 Secundò principaliter obiciunt; ab actu contritionis, & dilectionis præstari nequeunt sufficienter, & adæquatè, quæ ad remissionem peccati, & justificationem requiruntur; ergo nequit talis actus esse formalis causa justificationis: antecedens probatur nam primò ad remissionem peccati, & justificationem opus est, ut auferatur macula per peccatum relicta, quæ est privatio gratiæ habitualis, hæc autem tolli nequit, nisi per formam & habitum oppositum; Deinde tolli debet habitualis aversio, per quam homo denominatur peccator: sed actualis conversio in Deum per prædictos actus non opponitur huic habituali aversioni, nec eum sufficienter tollit, ut constat ex dictis n. 242. & 243. Rursus opus est, ut satisfiat Deo offensio, qui injuria affectus est: sed neque ad id sufficit actus contritionis, vel dilectionis Dei, itaut non sit necessaria liberalis, & gratuita Dei condonatio, & injuriæ remissio. Denique ad justificationem opus est, ut acquiratur forma, & donum, quo regeneremur ita filios Dei: at neque ad id sufficiunt prædicti actus nam hæc forma permanere debet ab instanti justificationis usque ad novum peccatum, quo solo perit justitia, actus autem cum sit transiens non potest justificare nisi pro instanti, quo durat, post vero, aut homo redieret ad statum puræ naturæ, aut maneret justus sola extrinseca denominatione, vel relatione rationis ab actu præcedenti resultante, eo modo quo in humanis manet unus amicus alterius ob actum amoris præcedentem, quod sufficere non videtur, ut verè filius Dei nominetur, & sit ergo &c.

258 Respondetur negando assumptum, ad primam probationem ait Serra privationem physicam gratiæ habitualis utique non tolli, nisi per gratiam habitualem, sicut nec cæcitas tollitur, nisi per potentiam visivam privationem tamen eius moralem, in qua consistit ratio maculæ auferri posse per quodcunque auferatur ratio voluntatis, quod ex actu peccati in privatione gratiæ relictum fuerat, talis autem est actus dilectionis, & contritionis, quo retractatur actus peccati præteritus, & homo convertitur in deum, à quo fuerat per peccatum aversus: unde in casu quo homo per actum dilectionis, & contritionis justificaretur esset quidem in eo privatio gratiæ physica, non tamen moralis, quia non amplius voluntaria, sicque nec macula peccati. Hanc tamen solutionem non sufficere constat ex dictis numero 243. quia licet contritio tollat rationem voluntarii modo prædeclarato; non tamen tollit rationem voluntarii in ordine ad fundandum rationale odium Dei contra peccatorem, quod voluntarium solum est de essentia peccati habitualis. Quarè potius dicendum est n. 228. in fine, quod licet macula de facto includat privationem gratiæ, ut habitus quidam est, non tamen in casu posito; tunc enim tolleretur privatio gratiæ, ut præcisè habet rationem gratiæ, & facit hominem Deo gratum, quod fieret ex eo, quod acceptaretur à Deo ad sui amorem, & amicitiam per solam positionem actus contritionis; Vel dato quod etiam in ea hypotesi includeretur in habituali peccato privatio gratiæ in ratione habitus; posset tolli talis privatio per commutationem debiti habendi gratiam habitualem in debitum habendi actum contritionis, ut ibi declaratum est exemplo peccati originalis.

259 Ad secundam probationem dicendum, quod licet actuali conversio in Deum per actus prædictos non sufficienter tollat habitualem aversionem ex peccato causatam, de facto, & secundum præsentem Dei providentiam ob rationem *loc. cit.* ad latam nu. 243. quia obligatio satisfaciendi pro injuria Deo illata, in qua habitualis aversio consistit, extingui nequit, nisi per infusionem gratiæ; in casu tamen posito extingueretur per acceptationem illorum actuum in condignam satisfactione absque infusione alicuius habitus. Ad tertiam probationem; concludit tantum actus illos ad hoc non sufficere ex natura sua, quod gratis concedimus: in casu tamen posito sufficerent ex acceptatione, & liberalitate divina, tunc enim in collatione gratiæ actualis & motionis divini auxilii ad tales actus includeretur liberalis, & gratuita condonatio, & remissio injuriæ, sicut modò de facto includitur in infusione gratiæ habitualis. Ad quartam probationem dico, nullum esse inconveniens in casu posito transacto actu dilectionis, hominem adhuc manere justum sola extrinseca denominatione actus præteriti, eo modo quo nunc dicitur peccator ratione actus mali præteriti; sicut pariter nullum esset absurdum, quod tunc dicatur homo filius Dei adoptivus ab actu dilectionis Dei, quo diligetetur, & ad vitam æternam adoptaretur, sicut inter homines filius adoptivus dicitur intrinsecè ab actu adoptantis.

260 Tertiò arguunt; ex Concil. Trid. *sess. 6. c. 7.* unica est causa formalis nostræ justificationis nemine justitia inhærens, ergò cùm hæc sit gratia habitualis, sola illa poterit esse causa formalis justificationis; si enim aliquid aliud posset esse, non unica, sed multiplex esset causa formalis justificationis. Confirmatur, effectum formalem sola una forma præstare potest; ergò cum justificatio sit effectus formalis gratiæ habitualis, sola hæc poterit esse formalis causa eius. Tandem arguit Card. de Lugo, nam rationes assignatæ, quod contritio non habeat de facto vim justificandi, eodem modo probant de possibili, & quidem si de possibili id haberet, haberet etiam de facto; forma enim applicata subiecto capaci non potest impediri, quin communicet illi suum effectum formalem; si ergò contritio ex se esset potens ad dandum hunc effectum formalem, daret illum de facto. Resp. Concilium loqui de facto, non autem de casu possibili de potentia Dei absoluta. Ad Conf. assumptum verificatur tantùm de effectu formali, & physico alicujus formæ, non autem de effectu morali, qualis est justificatio respectu gratiæ ex dictis *quæst. 1. huius disp.* Ad ultimum negatur assumptum, ad cujus probationem rursus negatur antecedens; ad cujus probationem dico valere de forma respectu effectus formalis physici, & ex natura rei illi convenientis; non autem de effectu morali, quem quidem dicimus esse justificationem, tum de facto, & juxta præsentem Dei providentiam respectu gratiæ habitualis, tùm de possibili, & juxta alium providentiæ ordinem respectu actus perfectæ contritionis, & dilectionis Dei.

261 Quartò argunt: forma justificationis ita destruit peccatum ex natura rei, ut non sit necessaria nova gratia, aut nova applicatio meritorum Christi ad delendum illud; sed posito actu contritionis, & dilectionis, necessaria est nova gratia, & nova applicatio meritorum Christi ad delendum peccatum: ergo nequit actus iste esse forma justificationis. Resp. concessa maiori in sensu iam explicato *nu. 220.* distinguendo minorem; modò de facto, & juxta præsentem Dei providentiam, conceditur; at in alio rerum ordine, & in casu, quo talis esset ultimum Dei beneficium, post quod non sequeretur alia gratiæ infusio, negatur minor; tunc enim, ut benè ait Serra, in voluntate conferendi gratiam actualem, & motionem divini auxilii ad talem actum includeretur voluntas remittendi peccata per talem actum, sicut modò includitur in voluntate infundendi gratiam peccatori contrito; undè in præfato casu, totum quod modò habet gratia tunc haberet ille actus, quia esset ultimum Dei beneficium in justificatione. Dices; in casu posito nisi accedat favor Dei, & extrinseca acceptatio, actus illi non justificarent; ergo re vera tantum prædictus favor, & extrinseca Dei acceptatio esset forma justificans, & prædicti actus essent tantùm dispositiones prærequisitæ ad talem favorem habendum. Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam quia licet prædictus favor esset, qui eum valorem illis actibus daret, sicut modò dat gratia, non propterea dicendum esset, solum extrinsecum Dei favorem, & acceptationem esse totalem, & præcisam causam nostræ justificationis, sicut neque id modò de gratia asserimus, quamvis ex divino decreto vim habeat justificandi, & non præcisè ex natura rei, ut talis qualitas est; quarè in casu res explicanda esset de actu contritionis, & dilectionis eo modo, quo explicata est de facto, & juxta præsentem Dei providentiam de ipso habitu gratiæ *quæst. 1. cuius disp. nu. 6. & 7.*

262 Quintò tandem arguunt Lezana, Hacquetus, & alii ex differentia inter causam efficientem, & formalem; quod efficiens potest elevari ad aliquem effectum excedentem propriam naturam, & virtutem, & tunc dicitur causa instrumentalis; at verò causa formalis nequit elevari ad talem effectum; cuius differentiæ ratio est, quia causalitas causæ efficientis non est illi essentialis, & ideò potest impediri, & etiam elevari, at verò causalitas formalis causæ est illi essentialis; & hinc est, quod non possit elevari ad effectum propriam naturam excedentem; nec possit in causis formalibus dari causa instrumentalis, sicut in efficientibus; ergò cum actus dilectionis, & contritionis non habeat ex sua natura esse causam formalem justificationis, nec de potentia Dei absoluta poterit ad hoc elevari.

263 Resp. Serra actum contritionis, & dilectionis ex natura sua habere esse causam formalem justificationis minus perfectæ, si tamen adsit divina voluntas remittendi peccatum per illum, quæ tamen solum adest, quando talis actus est ultimum eius beneficium. Sed planè soluto hæc mihi in terminis implicare videtur; si enim actus contritionis nequit habere vim justificandi formaliter, nisi includat divinam voluntatem remittendi peccatum per illum, quam solum includit quando est ultimum Dei beneficium, iam ex hoc ipso sequitur non habere talem vim ex natura sua, sed tantum ex voluntate divina. Præstat ergo dicere totam illam doctrinam verificari de causa formali physica, non verò morali, qualis de facto est gratia habitualis respectu nostræ justificationis, & esset in casu posito actus ipse contritionis, vel dilectionis absque habitu, undè gratis

gratis concedimus etiam, quod sicut datur causa moralis instrumentalis in genere causæ efficientis causans gratiam moraliter, ut lib. 4. dicemus de Sacramentis ita pariter datur causa formalis moralis Sanctitatis, quæ etiam dici potest instrumentalis; & hæc juxtà præsentem Dei providentiam est gratia ipsa habitualis; in casu autem posito esset solus actus contritionis, vel dilectionis moraliter permanens, donec per peccatum retractaretur, quæ in Deum conversio oponeretur tunc formaliter habituali aversioni, quam peccatum importaret.

QVÆSTIO NONA.

An, ut bona opera justorum sint condignè meritoria apud Deum, oporteat ut procedant ex imperio charitatis.

264 Conveniunt omnes, non solos actus charitatis, seù à charitate elicitos, esse de condigno vitæ æternæ meritorios, sed etiam actus reliquarum virtutum, non solum infusarum, sed etiam moralium acquisitarum ab homine factos in statu justificationis, contra Bannes 2. 2. *qu.* 24. *ar.* 6. tenentem actus aliarum virtutum etiam à charitate imperatarum, non mereri gloriam essentialem, quæ est vita æterna, sed accidentalem; & videtur fuisse sententia D. Thomæ 1. *p. qu.* 95. *ar.* 4. ubi expresè affirmat opus cuiusvis virtutis non esse meritorium præmii essentialis vitæ æternæ, nisi secundum mensuram charitatis; Nec aliud fundamentum habet, nisi testimonia Patrum, & Scripturæ, quæ charitati tribuunt præmium vitæ æternæ, & charitatem præferunt reliquis virtutibus, & hanc solam dicunt esse radicem meriti, & principalem justitiam nostram. Communis inquam, sententia docet oppositum, opus iustè esse meritorium de condigno vitæ æternæ, non solum ratione charitatis, sed etiam aliarum virtutum, quod satis constat ex omnibus Scripturis, in quibus vita æterna promittitur observantibus legem, & actus etiam aliarum virtutum exercentibus, qui non sunt à charitate eliciti, ut Matt. 5. & Luc. 6. ubi promittur actibus misericordiæ; quod etiam universaliter docuit Trid. *sess. 6. cap.* 16. de omnibus bonis justorum operibus. Testimonia verò Scripturarum, & Patrum charitati præmium æternæ vitæ tribuentium, non obstant, quin aliæ quoque virtutes, vel earum actus sint sufficienter merita de condigno si aliquo modo dependenter à charitate fiant, nimirum si ex eius imperio exerceantur actuali, vel virtuali, aut saltem in statu charitatis exerceantur; nam status charitatis est conditio necessariò requisita ad meritum de condigno, vitæ æternæ, ut dicemus lib. 3. in tract. de merito; Quod si interdum soli charitati, vel actibus ab ea eliciti tale meritum tribuunt; loquuntur de perfectione meriti, & charitatis; non de eo, quod ad meritum est simpliciter necessarium.

265 Hoc itaque supposito; quæstio est, an sola charitate, & operibus bonis à charitate imperatis; an potius quocunque opere bono etiamsi à charitate non imperetur, iusti mereantur vitam æternam, in qua quæstione tres sunt sententiæ, duæ extremæ, & tertia medians; Prima extrema negat opus cuiuscunque virtutis esse in justo æternę vitæ condignè meritorium nisi aut proximè eliciatur, aut saltem virtualiter imperetur à charitate, vel ad minus habitualiter; vocant autem imperium charitatis habituale actum charitatis ab initio iustificationis semel habitum à justo, quo ordinat omnes actiones, & operationes suas in Deum, quæ ordinatio durat quousque non tractatur per peccatum mortale; quæ opinio tribuitur Scoto 2. *dist.* 41. *qu. un.* D. Bonav. ibidem *qu.* 3. *art.* 1. Durandus *dist.* 40. *qu.* 2. Bellarm. *lib.* 5. *de justificatione c.* 15. & tenent Scotistæ passim, Vulpes *tom.* 1. *par.* 3. *disp.* 26. *art.* 1. Poncius *disp.* 36. *de merito q.* 7. ubi inquit *concl.* 3. probabilius esse actus virtutum moralium, ut sint meritorii de condigno, debere referri per charitatem in Deum, seù imperari ab ea; immo addit non sufficere habituale imperium iam explicatum, sed requiri vel actuale, vel virtuale, hoc est aliquem actum charitatis cuius virtute illi alii actus producuntur; & tandem *concl.* 4. non tantum id asserit de actibus virtutis moralis acquisitæ sed etiam de actibus Fidei, & Spei supernaturalis, quos ait non esse de condigno meritorios, etiam quando procedunt à justificato sine relatione charitatis in Deum sic eitam Vulpes *loc. cit.* Hoc idem asserunt quamplures Thomistæ præsertim recentiores, ut Hacquetus *tract. de merito contr.* 15. Serra *qu.* 94 *ar.* 4. *dub.* 2. ubi tamen asserit sufficere ad meritum relationem charitatis in Deum habitualem, quam vocat virtualem remotam; quæ sit virtute intentionis præcedentis, non solùm proximæ, sed etiam remotæ, qualis est, quæ fuit in principio vitæ, vel iustificationis.

266 Secunda opinio extrema affirmat omne opus bonum à justo factum, absque ulla relatione charitatis in Deum actuali, vel virtuali esse condignè meritorium gloriæ; unde quamvis requiratur in homine status charitatis, idest, ut sit in statu gratiæ; & sit justus coram Deo, tamen non per hoc requiritur; ut ipsa opera sint præcisè opera charitatis, vel à charitate procedant, aut imperentur. Hæc est valdè communis in Schola Thomistarum, pro qua citantur Capreol. Cajet. Soto. Medin. Ouvied. Meratius, Morandus, Vasquez, Turrianus, Aversa, Amicus, Beccanus, Tannerus, & alii Recentiores ex Societate. Tertia tandem sententia media asserit nulla opera moralia virtutum acquisitarum esse de condigno meritoria, nisi ut imperata à charitate, at verò opera reliquarum virtutum infusarum concedit esse meritoria de condigno etiam absque ulla relatione charitatis in Deum: quia actus hujusmodi virtutum sunt verè supernaturales etiamsi non imperentur à charitate, ergo dum fiunt ab homine iusto, sunt proportionati ad ipsam gloriam fiuntque ex speciali auxilio gratiæ; ergo sunt verè meritorij gloriæ; ita Suarez, Montesinus, Granadus, Caspensis, Lezana, Coninch. & alii.

267 Cæterum quamvis Scotus communiter pro prima sententia citetur, quam proindè passim complectuntur Scotistæ, utpote satis apertè ab ipso insinuatam 2. *dist.* 41. *quæst. unic. lit. C.* quia non videtur, inquit, minor relatio sufficere ad meritum, quam relatio virtualis; attamen loca quoque non desunt, in quibus adhuc expresè favet secundæ sententiæ, quod scilicet, actus quilibet bonus moraliter in justo sit meritorius de condigno; & quod solùm relatio habitualis in Deum sufficiat; ita planè loquitur 2. *dist.* 7. *quæst. unic. infra F.* illis verbis; si homo est in gratia, & habet actum bonum secundò modo (nempè moraliter) ergo gratia inclinat ad illum, & ita est meritorius: ex quo deducit non dari actum honestum moraliter in homine justo, qui sit indifferens inter meritum, & demeritum, quæ consequentia sanè non teneret, nisi putaret sufficere inclinationem gratiæ habitualem ad hoc, ut opus moraliter bonum sit meritorium; Vt igitur mens doctoris pateat in hoc puncto; advertendum est certum esse apud ipsum; ad rationem operis meritorij non sufficere statum gratiæ habitualis, alioquin habens talem habitum non posset habere actum indifferètem aliquem, nec peccare venialiter, quia neutrum istorum tollit illum decorem operantis, & ita utrumque esset accepturum, si actus acceptaretur ex solo decore operantis; ita discurrit Doctor 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. §. *ad solutionem huius quæstionis*, quod & repetit *quol.* 17. *art.* 2. *in fine*: quarè subdit ibidem, oportet igitur dicere, quod iste habitus præter hoc, quod est decor spiritualis etiam est inclinans ad determinatos actus, & hoc sive non activè secundum quartam viam positam in solutione præcedentis quæstionis, sive, quod magis videtur, activè secundum tertiam viam, &c. Quia igitur Doctor variè locutus est de inclinatione habitus in actum, an sit activa; nec ne, an potius inclinet in actum, sicut forma prior in posteriorem, quæ perficitur, & conservatur in subjecto, & determinans potentiam ad actum illum, tanquam ad eum, cum quo maximam habet, & naturalem convenientiam, duo pulchra exempla adducit Doctor ad id declarandum collatione 6. §. *secundum principale*; Primum est si ponatur, quod gravitas non sit principium activum, quo grave moveretur deorsum, tunc gravitas non inclinat grave ad movendum se effectivè deorsum; nec etiam gravitas inclinat passivè grave ad recipiendum Vbi deorsum, quia sola quantitas est principium recipiendi Vbi; sicut & replendi locum, Ideo gravitas dicitur inclinare grave ad Vbi deorsum, sicut forma prior ad formam posteriorem, per quam salvatur; nam grave naturaliter quiescit, & salvatur in Vbi deorsum.

268 Aliud exemplum ibi affert ad hoc idem declarandum de ligno sicco ad recipiendum calorem ab igne, in quo siccitas non inclinat ad agendum; nec etiam ad subiectivè recipiendum, ita quod siccitas sit ratio subiectiva in recipiendo calorem, sed dicitur inclinare, quia naturaliter siccitas salvatur cum forma caloris, & ideò dicitur siccitas inclinare ignem ad calorem, sicut ad formam, cum qua convenit, & per quam perficitur, & salvatur, sic igitur in proposito, inquit Doctor, habitus perficitur, & augetur per actum, & ideò dicitur habitus inclinare potentiam ad actum, sicut ad formam per quam perficitur, & salvatur: quam doctrinam prius tradiderat 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. *M, & X.* Hæc itaque posterior inclinatio præfatis exemplis explicata appellatur habitualis prior verò appellatur inclinatio actualis, vel virtualis proxima, vel remota per modum, scilicet, imperii proximi, vel remoti. Si igitur dicamus habitum charitatis inclinare in actu cuiuslibet virtutis hoc modo, nimirum ut forma prior in posteriorem, per quam salvatur, & perficitur, hoc que sufficere, ut actus dicatur ex inclinatione gratiæ procedere, certè quilibet actus bonus moraliter elicitus ab homine iusto erit secundum inclinationem gratiæ, cùm quolibet tali conservetur, & augeatur gratia in homine iusto, & consequenter meritorius de condigno vitæ æternæ, & planè non video, qua ratione teneat illa Scoti consequentia relata ex 2. *dist.* 7. *qu. un.* nisi ita dicamus. Et quidem in hoc sensu quoq; intelligi potest

eloquium

eloglum illud charitatis 1. ad Cor. 13. *charitas patiens est benigna est*, &c. ut nimirum actus omnium moralium virtutum charitati tribuantur, non solum, quatenus est omnium imperativa proximè, vel remotè, ut communiter explicatur, sed etiam quatenus in omnes virtutum actus inclinat habitualiter modo explicato, inquantùm omnibus fovetur, conservatur, & perficitur.

269 Hoc idem sentio de mente Seraphici Doctoris in 2. *dist.* 41. *art.* 1. *q.* 3. quamvis enim in corpore quæstionis dicere videatur, non omnia opera justorum bona esse vitæ æternæ meritoria, nihilominus in fine quæstionis, inquit, ad hoc sufficere relationem charitatis in Deum habitualem; & declarans quid per hanc relationem habitualem intelligat, inquit; relationem autem habitualem voco, non qua quis in generali refert ad Deum omnia opera diei, vel anni, sed qua quis refert aliquod opus in Deum, ita quod opus sequens directam habeat ad opus primum ordinationem, & consequentiam, sicut est in illo, qui dat centum marcas, vel intendit ire ad sanctum Jacobum; quo pacto explicata habitualis intentio coincidit cum virtuali remota jam explicata. Deinde subdit S. Doctor; habitualem etiam intentionem, sive relationem voco; quando non præcogitato in actu, ut tunc, fine ultimo, sive Deo, ex sola boni operis consideratione ipsa charitas prompta, vel aliqua alia virtus charitate informata ad ipsum bonum opus inclinat; sicut vir obediens obediendo prælato sibi præcipienti, etiamsi nihil de Deo cogitet, sed solum consideret, quod bonum est obedire. Quibus verbis expressè innuit S. Doctor omnia opera moraliter bona justorum, ad quæ movetur homo ex ipsa sola consideratione bonitatis moralis, esse de condigno meritoria, ut notavit Vasquez *disp.* 217. *c.* 2. Quarè cum ambo Doctores nostræ Religionis Proceres Seraphicus, & Subtilis in utramque propendeant sententiam; in primam quidem, tanquam in magis tutam, ac de nostra salute magis sollicitam; in secundam verò, tanquam in magis piam, ac divinæ misericordiæ magis consentaneam; utramque nos quoque defendemus ut probabilem, satisfaciendo utriusque fundamentis ex ratione, & auctoritate ductis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Opinio negans ostenditur probabilis ex solutione rationum adversantium.

270 FVndamentum hujus partis problematis esse debet, quod ad hoc, ut opus aliquod sit meritorium de condigno vitæ æternæ, non necessariò requiritur, ut fiat ex imperio charitatis actuali, vel virtuali, aut alterius virtutis supernaturalis, ut constabit ex solutione rationum, sed satis est, quod fiat ab homine justo, seù in statu gratiæ constituto; Et quod sit juxtà inclinationem gratiæ habitualem jam explicatam, quod additur ad excludenda opera indifferentia, & includenda bona, & honesta in genere moris; & tandem quod sint ex speciali auxilio gratiæ per Christum, ad excludenda opera bona moralia, facta ex solo concursu generali Dei; siquidem Concilia Milevitanum, Arausicanum, Palæstinum, ac denique Trident. *sess.* 6. *c.* 16. & *sess.* 14. *c.* 8. definiunt contra Pelagium ad opera æternæ vitæ meritoria requiri peculiarem gratiæ influxum, non modo habitualis, sed etiam actualis, undè Trident. inquit *loc. cit.* nullo pacto opera nostra Deo grata, & meritoria esse posse, nisi in ea influat Christus, tanquam caput in membra, & vitis in palmites influxu antecedente, comitante, & consequente, quod non nisi de gratia actuali potest intelligi. Ratio autem hujus est; quia eadem opera, quæ ante gratiam disponunt ad justificationem, adveniente gratia fiunt condignè meritoria apud Deum: nam forma sanctificans personam dignificat etiam opera personæ ex gratia facta; nempè quia transfert illa ad superiorem ordinem, & informat moraliter; sicut etiam persona Verbi dicitur informate moraliter naturam humanam sibi unitam, & ejus opera; eo enim ipso sunt opera Filii, & ex gratia facta: undè etiamsi ex objecto sint opera naturalia, quia ex motivo solius honestatis naturalis elicita, tamen ratione adjunctæ charitatis, & specialis auxilii divini, jam habent idoneam proportionem cum præmio supernaturali: atque ideò sicut hæc opera moralia ex peculiari auxilio per Christum facta disponunt ad justificationem de congruo: jam eadem adveniente gratia fiunt condignè meritoria apud Deum, quia dignificantur dignitate filiationis supernaturalis; & hoc modo dicuntur referri in Deum ut finem supernaturalem, quantùm sufficit ad meritum de condigno: etiam si non fiant ex actuali affectu, & imperio charitatis, vel virtuali; nec enim majorem relationem postulant in Deum Scripturæ, & Patres, ut ex argumentorum solutione jam constabit.

Primum argumentum ex Scriptura.

Primò itaque in oppositum arguunt tuentes aliam problematis partem, quod in Sacra Scriptura singulariter videtur promissa beatitudo charitati, & dilectionis erga Deum: sic ipse Christus Ioan. 14. dixit, *si quis diligit me, manifestabo ei me ipsum*, & Paulus 1. Corinth. 2. *quæ præparavit Deus diligentibus se*, & Iacob. *capitulo primo*: *quam repromisit Deus diligentibus se*, Imo 1. Corinth. 13. videtur Apost. omnia alia virtutum opera excludere dicens, nihil prodesse sine charitate, ergò ad summum per imperium, & ordinationem ipsius charitatis poterunt participare meriti rationem. Interdum etiam dicitur, opera bona debere fieri propter Deum, aut in nomine Christi; & similiter locuti sunt Sancti, & præsertim Aug. dicendo etiam, & explicando, non valere nostra opera, nec posse à nobis fieri opera Deo placita, nisi ex fide, & dilectione, sive ex fide per dilectionem operante, & similia. Deindè sunt alia quoque loca, in quibus expressè negatur operibus moralibus alias de se bonis merces æternæ vitæ, quia non sunt facta ex motivo dilectionis Dei, ut Matth. 5. *si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis*: quibus verbis videtur significare Christus, posse justum facere opus bonum, quod nullum habeat præmium nam interrogatio illa *quam mercedem habebitis?* videtur solvenda per negationem *nullam*. Denique Concil. Trid. *sess.* 6. *cap.* 16. docet opera solum, quæ in Deo sunt facta, idest, propter Deum, esse vitæ æternæ meritoria.

271

Respondeo, hæc, & similia loca non urgere, ut etiam gratis concedit Poncius *loc. cit.* potest enim charitas esse necessariò requisita ad singula opera bona meritoria de condigno, & esse radix eorum, sine eo, quod illa deberet imperare, per hoc quod requireretur status gratiæ ad dignificandum subiectum, à quo talia opera procedunt, sine qua dignificatione nec ipsa actualis Dei dilectio est meritoria de condigno, ut patet in contritione, & dilectione peccatoris, quæ ad justificationem disponit; Itaque in quibusdam ex præcitatis locis specialiter denotatur, & significatur status justificationis per charitatem, & gratiam habitualem in operante; siquidem status gratiæ omnino est necessarius, ut opera sint de condigno meritoria, quoniam ex ipsa gratia justificante derivatur formaliter hæc condignitas & acceptatio in opera ipsa, ut docet Scotus 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. In quibusdam etiam significatur, opera ipsa bona esse debere ordinis supernaturalis, & debere esse facta ex speciali auxilio Dei per Christum, ut ita dicantur fieri in nomine Christi, & propter Deum; quamvis autem Concilia, & Patres requirant auxilium speciale ad opus meritorium de condigno vitæ æternæ, non sequitur quod requirant imperium charitatis actuale, vel virtuale; nam requirunt etiam gratiam actualem ad dispositiones omnes ad justificationem, ad quas tamen non requirunt charitatis imperium; undè in hujusmodi locis per fidem, & dilectionem, significatur cogitatio ordinis supernaturalis in intellectu, & auxilium ejusdem ordinis in voluntate, ad hoc ut opera bona fiant, sicut oportet, ut sint grata Deo, & valeant ad salutem; Interdum quoque dilectio Dei sumitur modo quodam universali pro observantia divinæ legis, ut dixit Christus ipse, *qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me*, & in hoc sensu utique solis & omnibus divinæ legis observatoribus merces æternæ vitæ promittitur; sed hinc non sequitur oportere, ut omnia talia opera fiant specialiter ex motivo charitatis, prout est virtus specialis; & quidem in uno, vel altero sensu Vasquez, Turrianus, Aversa, & alii adducta loca exponunt; & in hoc sensu etiam inquiunt rectè dici à Concilio opera, quæ in Deo sunt facta, esse meritoria de condigno; vocat enim opera in Deo facta, quæ fiunt in statu charitatis, & ex specialis gratiæ auxilio; ex quo non sequitur ad omne opus meritorium requiri charitatis imperium, aut alterius virtutis supernaturalis, sed necessarium esse, ut opus fiat ex gratia, & ab homine justo.

272

Adhuc tamen negari non potest in quibusdam locis specialiter inculcari præceptum ipsum dilectionis, & charitatis, tanquam primum, & præcipuum, & sic videtur Apostolus esse locutus 1. Corinth. 10. & ad Collossenses 3. ubi admonet, ut omnia fiant in gloriam Dei, quod quidem si idem significat, quod fieri ex amore Dei; ut textus sonat, tunc dicendum est Apostolum hortari ad rem magis perfectam, non tamen ad meritum simpliciter, & absolute sumptum necessariam. Ad illum verò locum Matth. 5. ubi Christus operibus alias bonis negare videtur mercedem æternæ vitæ, si non fiant ex motivo divini amoris; aliqui Patres apud Vasquez exponunt, *si tantum diligitis eos, qui vos diligunt, quæ mercedem habebitis, si alios odio habetis*; hoc enim opus cum tali circumstantia non est dignum vita æterna. Verum cum ibi Christus discipulos ad perfectionem hortetur, potest locus exponi cum aliis, ut tali operi non velit negare omnem mercedem sed eximiam, undè quod apud Matth. dicitur

273

quam mercedem habebitis apud Lucam cap. 6. habetur *quæ gratia est vobis?* quod Hispani significantissimè dicerent *pocas gracias*, ut ait Turrianus.

Secundum argumentum ex Patribus.

274 Secundò pressius arguunt ex Divo Gregorio hom. 27. in Evangelia; cùm enim dixisset *non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis* ad hoc explicandum subdit; sunt nonnulli qui diligunt proximum, sed per effectum cognationis, & carnis, quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt; sed aliud est, quod pontè impenditur naturæ, aliud quod præceptis dominicis ex charitate debetur obedientiæ &c. & paulò post addit; *hi nimirum, & proximum diligunt, & tamen ista sublimia dilectionis præmia non assequuntur*; ergò actus virtutis non imperatus à charitate aliquo modo, non est meritorius de condigno. Neque hic videtur cadere posse universalis illa responsio Vasquez, qua ita explicat auctoritates omnes, *ut per radicem charitatis* vel excludere intendant pravum finem, vel includere statum sanctitatis, & gratiæ, vel denique facere tantum sensum affirmativum, ita, scilicet, ut non excludantur opera aliarum virtutum etiam acquisitarum à merito de condigno. Non inquam, hæc expositio satisfacit, quod *per radicem charitatis* intendat solum excludere pravum finem; diligere enim per affectum charitatis contradist. inquit hic D. Gregorius ab eo, quod est diligere per affectum cognationis, & carnis, & huic dilectioni ait non contradicere re sacra eloquia; ergò hæc dilectio non est ex pravo fine, alias quin illi contradicerent; ergò dilectio per charitatem apud Gregorium plus petit, quam, finem honestum. Nec etiam alia expositio satisfacit quod per radicem charitatis solum statum charitatis innverit; cum apertè loquatur de motivo dilectionis, & affectu servandi præcepta dominica, aitque non debere esse affectum, vel motivum cognationis, & carnis, sed spiritus & charitatis. Nec tandem dicere valet, verba Gregorii facere solùm in sensum affirmativum, scilicet, quod istis operibus factis ex charitatis affectu debeatur, & promittatur merces; cæteris verò non negetur. Cùm enim dicat non habere aliquid viriditatis ramum boni operis, si non manet in radice charitatis, & per radicem charitatis intelligat amorem, & affectum Dei, certè solis istis operibus vitam æternam promittit, cæteris verò negat. Qua de causa Poncius *loc. cit.* cæteris auctoritatibus dimissis in hoc solo D. Greg. testimonio unicè fundatur.

275 Resp. hoc D. Gregorii testimonium, quod Adversarii adeò exagherant, facilè ex ipsius verbis exponi posse, sicut expositus est locus Matth. 5. cùm enim ipse fidelem ibi ad perfectionem hortetur, ità loquitur, ut dilectioni proximi ex motivo naturali elicito, non quidem negare velit omnem mercedem, sed eximiam, quod clarè colligitur ex illis verbis, *hi nimirum & proximum diligunt, & tamen illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur*; idest, non assequuntur illæ in sublimi quodam, & eximio gradu; potest etiam dici, quod cum opposita pars problematis sit in praxi tutior, & magis de animarum salute sollicita; ut suprà dicebamus, eam D. Gregorius populo prædicabat, ut fideles salutem propriam cum timore, & tremore operarentur; quare Tannerus etiam inquit pro instructione piarum conscientiarum, ne juti exponant se periculo non merendi in hujusmodi actibus moralium virtutum, valdè expediens esse, ut curent illos elicere ex imperio charitatis formali, vel virtuali juxtà dicenda art. seq. Sed quamvis id sit piè dictum, adhuc tamen tenendo hanc problematis partem, justus nullo periculo se exponeret actus illos eliciendo ex sola honestate naturali cum conditionibus jam assignatis; siquidem probabilitas hujus partis sufficiens est ad omne periculum excludendum juxtà dicta superius de opinione probabili.

Alia argumenta à ratione.

276 Tertiò arguitur ratione; opera virtutis acquisitæ non habent proportionem cum vita æterna, cùm sint ex obiecto formali naturalia; ergò ut proportionentur cum fine supernaturali, indigent præfata relatione charitatis in Deum formali, vel virtuali. Resp. negando assumptum, opera enim naturalis honestatis, si habeant alias conditiones jam assignatas, ut nimirum eliciantur ex speciali gratiæ auxilio ab homine justo; hoc ipso quod sint opera filii Dei, habent proportionem cum premio supernaturali, & supernaturalitatem filiationis divinæ à persona operante derivatam. Dices, status gratiæ solus non sufficit ad dignificanda hominis opera, nisi etiam hæc sint secundum inclinationem charitatis, ut sæpius docet Scotus; ergò habitus charitatis non tribuit bonitatem operibus nisi sua efficacitate influatin illa, quia alias non videtur, quomodo informet opera ex eo solum, quod informet personam. Respondent gratis concedendo habitum charitatis non informare opera moraliter ex hoc solum, quod informet personam, alioquin nedum opera indifferentia; sed etiam ipsa peccata venialia ad talem dignitatem conferentur elata; sed ulterius necesse est, quod hæc opera sint secundum inclinationem charitatis elicita, non quidem formalem, vel virtualem, scilicet, per modum imperii actualis, vel virtualis, sed secundum inclinationem habitualem, qua quilibet habitus inclinat in actus, quibus fovetur, & conservatur in subiecto, quo quidem modo charitas inclinat in actum cujuscunque virtutis moralis modo jam explicato *nu.* 267. & 268. non autem in actus indifferentes, & tantò minus in peccata venialia.

277

Sed instant; non per hoc actum virtutis moralis acquisitæ participare honestatem charitatis, quia qui eliceret actum temperantiæ, quamvis haberet virtutem religionis, vel fei, non requeretur, quod haberet hujus, aut illius virtutis honestatem nisi eam intenderet in actu secundo; ergò idem est dicendum in proposito. Quod si dicas Deum acceptare illum actum ad præmium, quia est actus filii, in quem inclinat habitualiter charitas, & illam acceptationem esse fundamentum proximum relationis in Deum, ut finem supernaturalem; ut enim sic referantur, sufficit, ut sint opera filii ex inclinatione gratiæ habitualis, & impulsu actualis elicita; sic enim dignificata dicuntur dignitate filiationis supernaturalis, & sic in Deum referuntur; quantum sufficit ad meritum de condigno? Contra adhuc instant, quia hæc acceptatio, & relatio in Deum sufficienter ad meritum non habetur in Scriptura, & Patribus. Resp. charitatem duplicem bonitatem posse operi alterius virtutis tribuere; unam in genere moris, & hanc utique non dat, nisi aliquo modo intendatur; & quoad hoc par est ratio de ipsa, & cæteris virtutibus, aliam in genere meriti, & hanc influit in opus moraliter, etiamsi non intendatur, & quoad hanc non est par ratio de ipsa, & cæteris virtutibus; quia ad bonitatem meritoriam necessaria circumstantia est sanctitas personæ, & status charitatis, non status religionis, vel temperantiæ; ut igitur opus sit meritorium de condigno, si habet alia requisita, sufficit quod à charitate habeat secundam bonitatem tantùm, etiamsi non habeat primam; & hæc acceptatio, & dignitas habetur in Scripturis, & Patribus, ut constat ex dictis.

278

Sed rursus instabis; ergò indignitas hominis in peccato mortali existentis omnia ejus opera inficiet, sicut sanctitas hominis in gratia existentis omnia ejus opera sanctificat. Resp. primò falsum esse, quod sanctitas hominis omnia ejus opera sanctificet; sanctificat enim illa duntaxat, quæ ex inclinatione gratiæ habitualis, & impulsu actualis sunt elicita, deindè negando est paritas, quia sanctitas personæ non est necessaria ad bonitatem actionis, sed ad rationem meriti, & ità indignitas personæ non impedit bonitatem moralem actionis, quam habet ex obiecto, & aliis circumstantiis, sed tantùm bonitatem meritoriam. Dices, saltem sicut status justitiæ facit opera moraliter bona vitæ æternæ meritoria, quæ alias talia non essent ita status injustitiæ facit peccatum veniale meritorium æternæ pœnæ, quod si hic status ad hoc non sufficit, nec status justitiæ satis erit, ut reddat opus bonum morale dignum vita æterna. Resp. cum Vasquez *disp. cit.* 217. *cap. ultimo*, manifestum esse discrimen, eo quod non omnia opera, vel peccata inimici sunt graves offensæ, atque ideò non omnia sunt digna pœna æterna, nam inimicus quandoque leviter tantùm offendit inimicum contra verò omnia opera filii, & amici, si bona sint, & in obsequium Dei facta, sunt digna remuneratione filii, & amici; propria autem remuneratio filii, apud Deum est vita æterna.

279

Quartò obiciunt; quia illa tantùm opera sunt vitæ æternæ meritoria, quibus augetur charitas, ut constat, siquidem omne meritum æternæ vitæ est etiam charitatis incrementum charitas non augetur; nisi per actus ab ipsa procedentes sicut quilibet alius habitus. Confirmatur, quia ut opus sit vitæ æternæ meritorum, debet referri in Deum, tanquam in finem supernaturalem; at opera cæteratum virtutum non referuntur in Deum, ut in finem supernaturalem, nisi à charitate imperentur, & dirigantur; nam si morales sint, non referuntur in Deum, nisi ut in finem naturalem; si theologicæ sint, respiciunt quidem Deum ut obiectum supernaturales; sed non referuntur in eum, ut finem supernaturalem, & summum bonum super omnia diligendum, ergo &c. Tandem non videtur, quomodo habitus gratiæ opera informare possit ex hoc præcisè, quod personam informet: ergo nequit suam bonitatem operibus tribuere, nisi sua efficacitate, vel imperio influat in illa.

280

Respondeo, concessa majori de qua posteà, negando minorem; nam & per actus quoque aliarum virtutum ex gratia elicitos augetur charitas, probatio verò valet de habitibus naturalibus, qui physicè, & effectivè ex propriis actibus elicitis augentur; habitus verò infusi, qualis est charitas, non nisi moraliter, & meritoriè augentur, atque ideò mirum non est, si non solùm actibus propriis, sed etiam aliarum virtutum augeatur. Ad Confirmationem rursus concessa majori, nego minorè, ut enim ità referantur, sicut sufficit ad meritum de condigno,

satis est si opera sint de se honesta, ad alia enim non inclinat charitas, & sint filii Dei, & ex gratia elicita; dignificata enim dignitate filiationis supernaturalis dicuntur in Deum referri, ut in finem supernaturalem, etiamsi à charitate non imperentur; tùm quia ipse justus per gratiam habitualem manet in Deum relatus; Tum etiam quia ratione habitus charitatis, quo in Deum elevatus est, videtur omnia opera ex ejus inclinatione elicita in eundem finem referre. Ad ultimum jam suprà declaratum est no.270. quomodo forma sanctificans personam etiam opera ejusdem ex gratia elicita dignificet, quatenus illa transfert ad ordinem superiorum, & informat moraliter, si sit persona Verbi informat naturam humanam sibi unitam, & ejus opera. Dices, non reperiri conditiones meriti in opere morali naturali, quia meritum debet referri ad Deum, ut remuneratorem; opus autem naturale morale non refertur ad Deum, ut est auctor gratiæ, sed ut est auctor naturæ. Negatur assumptum cum ejus probatione; quando enim opus morale fit ex inclinatione gratiæ habitualis, & ex impulsu actualis, fit in obsequium Dei, ut auctoris gratiæ; siquidem ab ipso tale opus dignificantur dignitate filii supernaturali, sicut nuper dicebamus opera Christi Domini esse digna præmio supernaturali ratione dignitatis suppositi. At replicant non valere paritatem; nam opera Christi ratione infinitæ dignitatis suppositi sunt utique digna præmio supernaturali; at opus morale ex sola dignitate filii adoptivi, non est dignum hereditate supernaturali, si in talem dignitatem jus non haberet. Sed hoc parum urget quia sicut infinita dignitas opus elevat infinito modo: ita servata proportione dignitas finita elevat opus ad præmium finitum quidem, adhuc tamen supernaturale.

Alia ratio validior.

281 Quintò validius adhuc obiicitur; quia ex hac parte problematis sequitur justum in omni opere suo moraliter bono indigere speciali auxilio Dei, quo tamen non indiget peccator; sequela patet, quia ut opus sit meritorium præsertim de condigno, necessariò exigitur, ut fiat ex speciali gratiæ auxilio, ut Concilia definiunt contrà Pelagium: Hoc autem afferere omninò irrationabile videtur, quia si peccator potest ex viribus naturæ absque speciali auxilio Dei, & cum solo concursu generali aliquod opus moraliter bonum exercere tantò magis id poterit justus, hoc autem semel concesso, tale opus moraliter bonum ex solo concursu generali Dei elicitum non erit æternæ vitæ meritorium: neque dicendum videtur, inquit Arriaga *disp.53.sec.3.* gratiam habitualem reddere justum magis indigentem talibus auxiliis, quam sit peccator.

Resp. Vasquez & alios afferentes ad omne opus moraliter bonum sivè in justo, sivè in peccatore, necessarium esse speciale auxilium per Christum, non multum hoc argumento præmii: Alii verò afferentes multa opera honesta fieri posse solis naturæ viribus cum generali dñinaxat concursu Dei gratis concedunt talia opera etiam ab homine justo elicita, non esse meritoria alicujus præmii supernaturalis, nisi virtualiter saltem à charitate imperentur, vel ab aliqua alia supernaturali virtute; & hæc quidem placere Deo, sed in ordine tantùm ad aliquod præmium temporale: atque ita dicunt omnia opera filiorum placere Deo juxtà operum quantitatem, & mensuram; quædam enim bona moralia facilia, ac proinde viribus naturæ elicita absque ullo speciali auxilio per Christum, placent Deo in ordine tantùm ad præmium naturale; alia verò magis ardua, ac proindè ex speciali Dei auxilio elicita, placent Deo in ordine ad præmium supernaturalem: quarè gratis concedunt non omnia opera bona moraliter justorum esse vitæ æternæ meritoria; ità Amicus *disp. 35. sect. 4.* Cæterum hanc quoque partem defendendo, quæ magis probabilis videtur, quod possit homo ex solis naturæ viribus cum solo cõcursu generali Deo aliqua opera honesta naturalia exercere saltem faciliora, ut latè ostendit Faber *lib. 2. disp. 61* adhuc abs re non esset dicere, quod licet justus etiam magis, quam peccator, possit ex viribus naturæ absque speciali auxilio opera moraliter bona exercere: ex speciali tamen amore, quo Deus prosequitur justos amicos, & dilectos suos, & singulari protectione, qua eos dirigit, jugiter virtute sua, atque divina gratia opera eorum bona etiam moralia semper antecedit, comitatur, & subsequitur, auxilia etiam ex superabundantia subministrando, ut nihil ipsis desit, quo minus sint vitæ æternæ meritoria, quod certe validissimum habet fundamentum in verbis Trid. *sess.6. cap.16.* dicentis; Cùm enim ille ipse Christus Jesus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona ipsorum opera semper antecedit, comitatur, & subsequitur; & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent, nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quo minus plenè illis operibus, quæ in Deo sunt facta vitam æternam verè promeruisse censeantur; Non igitur irrationabile est afferere justum in quolibet suo opere bono habere in promptu auxilium gratiæ Dei, ut opus illud sit bonum, sicut oportet, ad vitam æternam consequendam; peccatorem verò non ità, licet idem opus quoad substantiam solis naturæ viribus elicere possit cum solo concursu generali Dei; cùm enim justus sit filius Dei adoptivus, peccator verò inimicus, cur non specialiter assistet Deus filio suo & caro amico magis, quàm peccatori, & inimico; per quod satisfit obiectioni, quam urgebat Arriaga.

At instat Averla *q.114. sect.15.* quod etiamsi quædam opera 283
purè moralia fiant ex peculiari auxilio gratiæ, sivè ex superabundantia, sivè ratione difficultatis talium operum detur tale auxilium adhuc tamen hujusmodi opera non habent valorem ad vitam æternam, nec aliam quamcunque retributionem ordinis supernaturalis, ũquidem adhuc sistunt intrà ordinem naturæ, & in sua proportione relinquuntur; Neque verò sumunt valorem ex illo, etenim gratia auxilians non alio modo dat valorem operi, nisi quia facit, ut exerceatur actus habens in se intrinsecè proportionem, & valorem, qualis non est nisi actus supernaturalis, qui non sit, nisi ex auxilio supernaturali, & procedit ab aliqua virtute infusa, & non merè acquisita. Resp. negando assumptum cum ejus probatione: tale enim opus bonum morale ab homine justo exercitum valorem acquirit ad tributionem ordinis supernaturalis, tùm ex dignitate gratiæ habitualis modo jam explicato; tùm ex influxu gratiæ actualis, ex cujus impulsu exercetur; undè fallum est quod gratia auxilians non det talem valorem operi, sed illum supponat in ipso, & solùm faciat, ut talis actus exerceatur; cùm potius oppositum colligatur ex verbis Concilii citatis, inquit enim tale auxilium dari, non quidem ad simpliciter opus illud efficiendum, & quoad substantiam: sed ut opus illud sit bonum, sicut oportet, ad vitam æternam consequendam, sine quo nullo pacto, opus illud Deo gratum, & meritorium esse posset; quibus verbis sic expressè Concilium insinuat opera illa posse ab homine exercerì quoad substantiam; sed non quoad modum, ut sit æternæ vitæ meritoria; hunc enim valorem ab influxu talis gratiæ auxiliantis habent: quarè in hoc casu opus virtutis moralis acquisitæ, licet intrinsecè, & quoad substantiam, sivè ex obiecto, esset ordinis naturalis: extrinsecè tamen esset supernaturalis, & quoad modum, quia elevaretur ad ordinem superiorem, tùm ex dignitate personæ operantis in statu gratiæ existentis, tùm ex influxu specialis auxilii; neque ut aliquis actus sit apud Deum meritorium etiam de condigno, opus est, quod sit semper supernaturalis quoad substantiam, sed satis est, quod sit supernaturalis saltem quoad modum, ut notat Suarez *lib.12. de gratia cap.7. nu.7.*

Verùm Suarez eodem *lib.12. de gratia cap.10.* Granad. *tract.* 284
11. quæst.4. Montesin *disp.36. quæst.2.* & alii dicunt, quod quamvis ut actus moraliter bonus hominis justi sit meritorius de condigno, minimè opus sit, quod per se à virtute infusa procedat, & sit intrinsecè supernaturalis, ut ajebat Averla; sed actus etiam virtutis acquisitæ possit esse talis; addunt nihilominus talem actum fieri debere extrinsecè ex motivo supernaturali, etiamsi non imperetur ex charitate, talemque ordinationem extrinsecam sufficere ad meritum; quia ut sit tales actus fiunt ex auxilio speciali, & ex Spiritu fidei, & habeat sufficientem proportionem ad beatitudinem supernaturalem, atque ita participant omnes conditiones ad meritum requisitas. Cæterum hanc partem problematis sustinendo, non solum negandum est ad opus meritorium in homine justo requiri necessariò imperium charitatis; verum etiam cuiuscunque alterius virtutis supernaturalis; & afferendum sufficere solùm, ut opus fiat ex influxu specialis auxilii, & ab homine justo: sic enim adhuc manet opus virtutis moralis ordinatum in Deum, ut in finem supernaturalem, quantùm satis est ad rationem meriti etiam de condigno; & quamvis talis actus ex obiecto, & intrinsecè sit ordinis naturalis, extrinsecè tamen fit supernaturalis, quia transfertur ad superiorem ordinem tùm ex dignitate personæ operantis, tùm ex influxu specialis auxilii, quo elicitur, ut sit Deo gratum, & vitæ æternæ meritorium, ut suprà dictum est.

Obiectio ex Bulla Pii V.

Sextò tandem obiiciunt hanc sententiam fuisse damnatam in 285
Bulla Pii V. & Gregorii XIII. contrà Michaelem Bajum, siquidem decimaquarta propositio damnata in ea Bulla est ista. Opera bona à filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo; quod fiant per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo, quod sint conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi. Respondeo hanc propositionem ibi damnari in sensu Auctoris illius, qui negabat statum adoptionis esse necessarium ad meritum vitæ æternæ, ut videre est apud Bellar. *tom.3. lib.5.* de Justificatione, & Vasquez *part.2. disp. 216. cap.1.* Doctores autem secundæ sententiæ extremæ superius relatæ, quam modò defendimus, omninò certum asserunt, tanquam de fide, statum sanctitatis esse necessarium ad meritum de cõdigno. Quin potius ex damnatione propo-

propositionis illius nostra confirmatur sententia; nam eam damnando videtur asseri oppositа propositio, quod nimirum eo ipso, quod opera legi conformia exercentur ab homine justo, & filio Dei adoptivo, ratione talis status, & adoptionis accipiunt rationem meriti de condigno vitæ æternæ, eo quia dignificantur, & evehuntur ad superiorem ordinem per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, quod est asserum nostrum pro hac problematis parte.

286 At replicat Serra imo potius ea damnatione hujus propositionis Pontifices censuisse, ad rationem meriti in bonis operibus non sufficere concomitantiam charitatis, & gratiæ, per quam homines filii adoptionis sunt; sed etiam requiri, ut fiant per spiritum adoptionis hoc est, ex charitate, & gratia, itaut hæc in illa influant. Respondeo negando assumptum, Pontifices namque illam propositionem damnando, afferere solùm interdebant statum adoptionis esse necessarium ad meritum vitæ æternæ, quod Auctor ille negabat, parum curando de illa ordinatione actuali, vel virtuali charitatis in Deum, de qua Auctor ille non loquebatur, nec habetur aliquid certi ad finem spectans. Sed rursus instat, quia circunstantia aliquod opus merè concomitans non tribuit illi bonitatem, vel malitiam, eo quod ad talem actum omninò per accidens se habeat; hujusmodi autem est circumstantia personæ in gratia existentis, vel in peccato, undè status infidelitatis, vel peccati mortalis concomitans bona opera, non vitiat illa, nec facit demeritoria. Negatur minor quoad primam partem, status enim gratiæ non est circumstantia concomitans bona opera justi, sed omninò antecedens; siquidem acceptatio personæ per habitum gratiæ omninò necessaria est ad acceptationem actus, ut docet Scotus *1. dist.17. q.2 GG. & quol.17. art.2.* quod probat ex illo Gen.4. *respexit ad Abel, & ad munera eius*, prius ad Abel, deindè ad munera; quia non placet ablatio non dilecti, nec actus aliquis acceptatur, ut dignus præmio, nisi persona operans sit accepta: status verò peccati comitatur solum bona opera peccatoris, quia ut dictum est, sanctitas personæ non est necessaria ad bonitatem actus, sed ad rationem meriti tantum: & ideò indigniras personæ non impedit bonitatem operis, quam habet ex objecto, & aliis circumstantiis, sed tantùm rationem meriti.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Opinio affirmans ostenditur quoque probabilis ex solutione obiectionum negantis.

287 FVndamentum hujus partis problematis sumi debet, tùm ex ratione, tùm ex auctoritate; ex ratione quidem, quia si dicatur sine relatione, aut ordinatione charitatis in Deum opera moraliter bona à justo elicita non esse meritoria de condigno, magis invitantur homines ad charitatem actualem habendam, & actum divinæ dilectionis super omnia; quarè cùm non consset oppositum, magis expedit hoc afferere. Tùm etiam ex auctoritate, quia in pluribus Scripturæ locis *num.271.* indicantis, quando promittitur præmium vitæ æternæ operibus justorum, denotatur quasi semper per aliquam particulam ibi adjunctam, talia opere debere fieri propter finem supernaturalem, ut sint meritoria; quod præsertim colligitur ex illo Jo.15. dùm Christus inquit, *ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*, ex qua comparatione infert Concil. Trident. *sess. 6. cap.16.* opera iustorum esse meritoria, *quia Christus Iesus, tanquam vitis in palmites in ipso iustificatos iugiter virtutem influit*; quarè quemadmodum palmes ad hoc, ut ferat fructum, non sufficit, ut sit in vitæ tantum, sed opus est, ut hauriat humorem ex vite; ità etiam ad hoc, quod justus ferat fructum meritorium, non sufficit solùm esse in gratia; sed opus est, quod ipsa mediante, aut virtute aliqua supernaturali communicetur vita supernaturalis operibus ipsius, ea ordinando in finem supernaturalem, ordinatione actuali, vel virtuali, proxima, vel remota.

288 Dixi, mediante ipsa gratia, aut virtute aliqua supernaturali: ut nunc abstineam ab alio quæsito, an hæc relatio fieri debeat per actum charitatis, vel potius sufficiat actus cujuscunque virtutis supernaturalis; nam re vera Scripturæ, & Patres, quando hanc ordinationem inculcant in finem supernaturalem, precisè loquuntur de actu, & ordinatione charitatis, & fidem ipsam ajunt per dilectionem operari. Dixi tandem, ordinatione actuali, vel virtuali, proxima, vel remota; quia hanc etiam sufficere arbitror, qua nimirum quis in suæ justificationis initio se, omniaq; sua, ac singula opera moraliter bona, quæ in eo statu facturus est, in Deum retulit; siquidem hæc etiam relatio talis est, ut omnia opera, quæ deinceps operatur, relata sint in finem supernaturalem, etiamsi eam nunquam renovaret, quo sensu colligitur ex Scoto *4. dist.6. q.6.* D. Scio Recentiores nonnullos, cũ quibus est Poncius *loc. cit.* id negare, afferentes, ut actus censeantur virtualiter à charitate procedere, opus esse, ut habeant aliquam connexionem immediatam, vel mediatam cum actu ipsius, itaut primus immediatè cum ipso actu charitatis connectatur, & cæteri inter se, hocque in universum requiri, ut actus, vel medium in aliquem finem virtualiter referantur, qui enim statuit Romam proficisci, censetur hunc finem intendere, & in ipsum referre actus, qui hãc connexionem habent v.g. prepatare æquum, & alia ad vitam necessaria, itet facere &c. si verò aliquid aliud agat sine hac connexione, non procedit virtualiter ab illa intentione, ut comedere, loqui cum amico &c. Quia igitur non omnes actus virtutum hominis in gratia existentis huiusmodi connexionem habent cum actu, quo in principio vitæ, aut justificationis se, & omnia sua retulit in Deum, ideò dicunt hunc actum non sufficere ad imprimendam virtualem relationem ad obiectum, & finem charitatis in omnibus aliis bonis sequentibus.

Asserendum tamen est ex Scoto *loc. cit.* ut finis intentio vir- 289
tualiter maneat, sufficere, ut id quod semel proposuit homo faciendum, executioni mandetur; nec opus est, ut quæ propter talem finem facere proposuit, inter se connexionem habeant, qualem Recentiores illi prætendunt; nec tandem requiritur aliquod determinatum tempus, ut talis intentio morali modo manere dicatur; sed ut inquit Scotus *loc. cit.* nisi per actum contrarium revocetur; toto tempore manet, quò executioni mandatur, quod jam anteà propter talem finem fieri fuerat propositum; Quod vulgari exemplo explicari solet, de illo, qui statuit propter Deum toto vitæ suæ tempore peregrinari; toto enim illo tempore ea intentio manet, dùm executioni peregrinatio mandatur; etiamsi de Deo actu non cogitet, nec ullum talem actum de proximo habuerit; nam omnes actus sequentes supponunt ab illo omninò primo proposito descendere, quamdiù non intervenit motus voluntatis contrarius, ut inquit Doctor. Cùm igitur in proposito opera virtutis exercita ab homine iusto totò vitæ suæ tempore sint executio cogitationis, & propositi, quo ab initio vitæ, vel justificationis omnia illa instituit facere propter Deum, & in illum se se, omniaque sua retulit, ut in ultimum finem; planè hac ratione in cujuslibet actus boni operatione virtualiter manere dicenda est prima illa intentio, quantumvis actus ille longo temporis tractu ab ea distet; cùm nunquam per motum voluntatis contrarium fuerit revocata, undè tandem sequitur actum illum virtutis propter Deum elicitum esse ex prima illa intentione, atque ideò esse meritorium, & in hunc modum quoque explicant hanc ordinationem charitatis virtualem temotam Thomistæ quamplures hanc partem problematis defendentes; Sed accedamus jam ad examen, & solutionem objectionum alterius partis negantis.

Primum argumentum ex Scriptura.

Primò itaque arguunt; quia in sacra Scriptura promittitur 290
vita æterna omnibus bonis operibus, & expresse etiam, ac in speciali operibus virtutum moralium, utpotè actibus misericordiæ ergà proximum, non requisita, vel appofita alia conditione. Imò Christus ipse Matth. 25. enarrans formam extremi judicii, singulariter profert sententiam beatitudinis pro operibus misericordiæ; Et ad denotandum, quod in his operibus non requirebatur alia conditio, vel ordinatio in Deum, videtur introducere illam admitationem iustorum. *Domine quando te vidimus esurientem, &c.* nec ipse respondebit, quia pavistis pauperem ex dilectione Dei, sed solùm dicet: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Sic etiam Sancti absolutè adhortantur ad omnia virtutum opera per se, & propter propriam eorum honestatem, iisque proponunt mercedem promissam gloriæ.

Resp. hoc argumentum ex locis sacræ Scripturæ deductum 291
pro parte problematis negante esse prorsus inefficax; quia per illud æquè probaretur in favorem Michaelis Baii ad meritum de condigno non requiri statum adoptionis, & gratiæ habitualis, cùm in illis non declaretur esse necessaria: Quod si dicas id subintelligi, ut de facto responderi soleat auctoritatibus à Balo adductis, idem dicemus, & nos de ordinatione in finem supernaturalem: eo præsertim quia ex quibusdam locis etiam ab Adversariis adductis id manifeste colligitur, & specificatur finis charitatis; ut Matth. 25. ait enim Christus, esurivi, & dedistis mihi manducare, idest, pauperi *in nomine meo*; & clarius Marci 9. quisquis potum dederit vobis calicem aquæ frigidæ in nomine meo. Sed instat Vasquez; frustrà ergo in primo loco inducuntur justi dicentes, Domine quando te vidimus esurientem, & pavimus, facile agnoscerent se illam eleemosinam fecisse in ipsius gratiam, ac proindè illum vidissent esurientem. Confirm. quia Christus ibi reprobos condemnat, quia inquit, esurivi, & non dedistis mihi manducare; certum est autem nullum damnandum esse ex eo, quod non retulerit in Christum eleemosinam, quam fecit pauperibus ex misericordia motus, sed ex eo, quod non dederit pauperibus, quia pauperes sunt, ergo hac de causa glorificantur justi, & glorificari meruerunt.

293 Respondeo, quòd non inducuntur justi stupentes, quod nullo modo viderint Christum, sed quod eum non viderint esurientem, sitientem, infirmum; stupent itaque de illa locutione absoluta Christi, esurivi, & dedisti mihi manducare: stupent, inquam, nec abs re, quàm gratum habeat Christus opus misericordiæ factum ex ejus amore; non enim dicit, quod illud ità sit sibi gratum, ac si ipsum cibassent, potassent, visitassent sed absolutè, quod ipsum cibarunt, potarunt, visitarunt, & hoc est causa admirationis justorum. Ad Conf. dico, quod sicut Christus non præmiat bonos pro solo opere misericordiæ nec pro solo opere charitatis, sed pro opere misericordiæ facto ex relatione charitatis in Deum; ità non reprobat molos ex eo præcisè, quod non retulerint eleemosinam, quam fecerunt in ipsum: sed quia ipsam nullo modo fecerunt pauperibus. In aliis autem Scripturæ locis licet non fiat expressa mentio talis relationis, ac ordinationis, non propterea excluditur: cùm in plerisque aliis doceat Christus actum dilectionis proximi ex tali motivo exercendum esse, ac cætera præcepta adimplenda, ut vitam mereamur æternam, quemadmodum ex instituto docuit D.Greg. *hom.27.* in Evang. *cit. nu.* 275. & Leo Papa *serm.* 7. Quadr. *cap.* 2. quam etiam responsionem Adversarii ipsi, ut dixi, adhibent auctoritatibus aliis à Bajo adductis, quæ dicunt opus bonum esse meritorium nulla facta mentione status adoptionis; & sic tandem exponendam sunt quoque Sanctorum testimonia absolutè adhorantia ad omnia virtutum opera, ut de condigno meritoria nulla facta mentione hujusmodi relationis, & ordinationis in Deum.

Secundum argumentum ex Tridentino.

293 Secundò arguunt ex Trid. *sess.6.* ubi amplè docuit bona opera facta in statu gratiæ ex auxilio Dei esse meritoria gloriæ, & declaravit, si hæc habuerint nihil eis deesse, nec limitavit meritum ad solos actus charitatis, vel imperatos à charitate, seu ex ipsa charitate procedentes; & ità præsertim loquitur *cap.16.* ubi docet auxilium gratiæ provenientis, comitantis, & subsequentis semper ad esse bonis justorum operibus, & subdit, nihil aliud eis deesse credendum esse, ut sint meritoria; quibus verbis apertè omnia, non aliqua, intelligit justorum opera esse meritoria cum hoc duntaxat influxu gratiæ prævenientis, comitantis &c. Rursus eodem *cap.* adhortatur justificatos verbis Pauli 1. Corint. 15. Abundate in omni opere bono scientes, quod labor vester non est inanis in Domino; at frustrà fieret hæc exhortatio, si non quolibet opere bono etiam ex sola honestate alicujus virtutis facto, justus apud Deum gloriam promereretur. Tandem in eodem *cap.* exaggerat, quantum Deum promiserit operibus bonis etiam minimis, ut neque qui dederit potum aquæ frigidæ sit sua mercede carituras; at quorsum hæc, si esset necessaria relatio in Deum, quandoquidem nullum opus cum tali relatione minimum dici possit?

294 Respondeo negando assumptum, cùm enim inquit Concilium, *nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quo minus plenè illis operibus, quæ in Deo facta sunt, vitam æternam verè promeruisse censeantur*, satis clarè per particulam *in Deo* præfatam relationem insinuavit; Vel dicendum institutum Concilii ibi non esse annumerare omnes prorsus conditiones ad meritum requisitas, sed tantùm quæ sunt de fide, quod præsertim colligitur ex verbo *credendum est*, ut sit sensus, quo influxu gratiæ actualis habito, & statu habitualis suppofito, nil aliud, tanquam de fide, tenendum est requiri; nùm enim præterea requiratur relatio in finem supernaturalem ex motivo charitatis, vel alterius infusæ virtutis, ad Scholam pertinet, non ad fidem. Ad aliud testimonium, cùm Concilium addit particulam, *in Domino* satis etiam apertè indicavit esse necessariam eam relationem, idest, propter dominum; & quidem necessitas effectus charitatis colligitur ex verbis Immediatè sequentibus, cum subdit; Non enim injustus est Deus ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius. Ad ultimum dico potius ex eo oppositum colligi, exaggerat enim, quantum Deus promiserit operibus etiam minimis, si ex ejus amore fiant, ut sensus sit, quod opus quantumvis, sit minimum, si tamen fiat propter amorem Christi, hac relatione ità elevatur, ut sit vitæ æternæ de condigno meritorium.

Alia argumenta ex ratione.

295 Tertiò arguunt ratione; aut in opere imperato à charitate soli bonitati charitativæ correspondet præmium, quod videtur absurdum, cùm Scriptura etiam aliarum virtutum operibus promittat præmium; aut etiam bonitati aliarum virtutum, & non soli relationi, aut bonitati charitatis, sed talis relatio requiritur solùm, ut conditio necessaria, ut opus virtutis moralis sit meritorium; sicut etiam quod operans sit in statu gratiæ, & hoc licet non ità derogat dignitati aliarum virtutum, ac si totam meriti rationem ad charitatem revocaremus, non nihil tamen derogare videtur; & absque fundamento requiritur hæc conditio, cùm inter reliquas hanc Trid. non exposcat. Respondeo non solo charitatis affectu, sed etiam operibus aliarum virtutum, ut sic; nos mereri vitam æternam, esse tamen necessariam conditionem ad meritum relationem illam charitatis in quovis opere bono, sicut etiam quod fiat in statu gratiæ, & sanctitatis. Nec sine fundamento asseritur illa conditio, habet enim fundamentum in Scriptura, & Patribus, ut constat ex dictis; Et quamvis Concilium inter cæteras ab ipso enumeratas non recenseat, non sequitur, quod superfluat, cum Concilium ibi eas tantùm recensere intendat, quæ sunt de fide tenendæ, ut status gratiæ, auxilium gratiæ actualis, &c. non autem quæ in Scola controvertuntur, parum enim de illis curabat, cum de illis non loquerentur Hæretici.

Quartò arguunt velùti à priori, quia ut opus sit meritorium 296
vel acceptum ad vitam æternam, nil aliud requiri videtur, quam quod sit bonum ex objecto, & circumstantiis, & procedat ab homine existente in gratia; non ergo requiritur relatio, aut ordinatio in finem supernaturalem ex motivo charitatis, vel alterius virtutis supernaturalis; probatur assumptum, quia habitus gratiæ est formalis acceptatio ad vitam æternam; ergo omne opus bonum à justo factum elevat ad vitam æternam promerendam juxtà illud Jo.4. *fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, & juxtà illud Gen.4. *Respexit Deus ad Abel, & ad munera ejus*, ubi ex eo solum quod persona Abel erat Deo grata, ejus opus etiam fgit Deo acceptum. Confirmatur quia homo justus eo ipso quo justus est, per ipsam justitiam, est ordinatus in Deum, etiam ut finem supernaturalem, & in eundem etiam finem sunt ordinata omnia ipsius opera; quemadmodum servus & opera servi in obsequium sui Domini sunt ordinata; non ergo requiritur alia extrinseca ordinatio. Demum ad hoc, ut aliquod opus sit etiam de condigno meritorium, sufficit, quod participet aliquam dignitatem supernaturalem; sed opus etiam virtutis naturalis elicitum ab homine justo est dignificatum à gratia habituali, ergo &c. Major patet, quia ad meritum de condigno solùm requiritur, quod sit proportionatum cùm præmio; eo autem ipso, quod opus habet dignitatem supernaturalem, est omninò proportionatum cum præmio vitæ æternæ; minor autem probatur, nam sicut persona Verbi, ut suppositum naturæ assumptæ, condignificabat omnia opera humanitatis, ità gratia habitualis, ut supernaturalis decor personæ creatæ, condignificat omnia ejus opera, & hoc est præcipuum fundamentum opinionis oppositæ, ut diximus *n.* 270.

Respondeo, negando assumptum, ut patet ex fundamento 297
ab initio articuli jacto pro hac problematis parte; ad probationem dico ex illis locis solùm inferri, Deum non solùm opus bonum respicere, sed etiam personam merentis; non tamen indè infertur, quod opus quodcùmque merentis respiciat in ordine ad præmium supernaturale, si non habet proportionem cum tali præmio, quam utique non habet juxtà hanc partem problematis fine ordinatione charitatis in Deum saltem virtuali. Ad Confirmationem dicendum hominem justum, ac etiam ipsius bona opera per gratiam, & charitatem manere in Deum ordinata, ut in finem supernaturalem habitualiter solùm, & in actu primo; non autem actualiter, & in actu secundo, nisi gratia actus illos eliciat, vel saltem imperet, quia igitur meritum est actus secundus hominis merentis, præter ordinationem habitualem, & in actu primo quo persona est in Deum relata, requiritur etiam ordinatio actualis; vel in actu secundo per imperium charitatis actuale, vel virtuale, ut ejus quoque opera dicantur in Deum relata, ut in finem supernaturalem. Ad ultimum quicquid sit de majori: negatur minor, nam opus elicitum ab homine justo si fiat ex solo motivo honestatis naturalis, fiftit in sua naturalitate, & improportione ad præmium supernaturale; ad probationem negatur paritas, quoniam persona Verbi in humanitate assumpta vices supplet personæ creatæ; suppositum verò, vel persona complet substantialiter naturam in ordine ad omnes operationes, qua ratione 2. Metaph. operationes dicuntur esse suppositorum, Ideoque divinum suppositum dignificare dicitur operationes omnes à natura assumpta procedentes; tam naturales, quam supernaturales, at verò gratia habitualis unitur animæ, ut forma accidentalis præcisè; ideoque non ità propriè tribuuntur ei omnes merentis operationes; sicut tribuuntur supposito; quia forma accidentalis naturam perficit solùm in ordine ad eas operationes, quarum ipsa est principium, atque ideò gratia dignificare nequit, nisi operationes, quarum ipsa sit principium, vel elicitivum, vel saltem imperativum.

Argu-

Argumenta ex absurdis.

298 Quintò arguunt ex absurdo; quia ex hac sententia sequitur plures esse actus bonos in homine justo, qui non sint meritorii, quia sæpius operatur propter solam honestatem naturalem; ex quo sequitur ulterius plurimum extenuari merita, præsertim namque homines vulgares, qui nihil audierunt, aut cogitarunt de tali conditione, ut plurimum in suis operibus, licet bonis, & rectis careant mercede gloriæ, & augmento gratiæ, quod patet esse contrà communem fidelium existimationem, & sensum; communis enim fidelium sensus est justos per opera misericordiæ, & omnium virtutum præmium vitæ æternæ compararé, & hoc suis concionibus omnes Apostolici concionatores semper proclamarunt, inquit Ovviedus.

Respondet Amicus negando sequelam, nam præter opera bona merè naturalia, reliqua omnia in homine justo sunt condignè meritoria apud Deum; nam omnia opera supernaturalia virtutum infusarum ex proprio motivo supernaturali elicita absque ulla relatione charitatis in Deum ultimum finem, sunt in justo meritoria de condigno apud Deum; Item omnia opera moralia virtutum acquisitarum facta ex speciali auxilio per Christum collato sunt pariter in homine justo meritoria apud Deum absque ullo charitatis imperio, vel alterius virtutis supernaturalis; & tandem opera bona moralia à justo facta ex solo generali Dei concursu absque ullo speciali auxilio per Christum, possunt quoque esse meritoria di condigno, si virtualiter saltem à charitate, vel ab aliqua alia supernaturali virtute imperentur. Cæterum, si sermo fit de virtutibus moralibus infusis, has non libenter Scotus admittit 3. *dist.* 36. *quæst.un.* infrà Ofi de theologicis, ut sunt fides, & spes, etiam ab Apostolo dicitur fides per dilectionem operari, Deindè non video quo pacto opera bona moralia à justo facta ex solo concursu generali Dei absque ullo speciali auxilio per Christum dici possint meritoria de condigno vitæ æternæ, nam ut ipse quoque Amicus fatetur ea *sect.4. n.* 100. Concilia Milevitanum, Arausicanum, Palestinum, ac Tridentinum ad opera vitæ æternæ meritoria requirunt peculiarem influxum gratiæ, non modò habitualis, sed etiam actualis, & contrà Pelagium definiunt nullum opus valere ad salutem; nisi fiat ex speciali illuminatione, & inspiratione Spiritus Sancti.

299 Respondet proindè aliter Lezana *tractat.7. de gratia disput.* 8. *quæst.* 8. In fine, gratis concedendo sequelam, & ad inconveniens in contrarium adductum ait, quod cum vita æterna sit præmium excellentissimum, & omnium maximum; non mirum, quod requirat actus excellentissimos, qui mereantur illam; hoc verò, inquit, non est restringere merita, sed explicare, in quo vera ratio meriti consistit. At neque hæc responsio placet, cùm non sit satis consona his, quæ de justis docet Trid. *sess.6. cap.* 16. ubi inquit, quod Deus ex speciali amore, quo eos prosequitur, ut amicos, ac dilectos suos, in ipsos jugiter virtutem suam influit, quæ virtus bona ipsorum opera semper antecedit, comitatur, & sequitur, ut nihil illis desit, quo minus fint vitæ æternæ meritoria: sentit ergò Concilium vel omnia bona justorum opera, vel saltem ex majori parte esse vitæ æternæ meritoria; Nec refert, quod vita æterna sit præmium excellentissimum, ac proindè actus quoque excellentissimos requirat tali præmio proportionatos; nam opera quæcunque bona moralia justorum eo ipso, quod procedunt ex influxu gratiæ habitualis vel elicitivè, vel saltem imperativè, proximè, vel remotè; ac pariter ex impulsu gratiæ prævenientis Spiritus Sancti; licet quoad substantiam, & ex objecto sint actus naturales; extrinsecè tamen quoad modum fiunt supernaturales, & elevantur ad ordinem superiorem, quantum sufficit, ut proportionati censeantur præmio supernaturali, ut bene notant Caspensis *tract. de gratia disp.* 6. *sect.* 10. Suarez *lib.*12. *de gratia cap.* 7. & alii.

300 Respondeo itaque negando sequelam: tùm quia quando homo primum justificatur per gratiam, ut plurium refert se, & omnia bona sua in finem supernaturalem; & hæc relatio, quæ dicitur virtualis remota, sufficit, ut omnia opera bona, quo deinceps homo justus operatur, relata sint in finem supernaturalem; tùm etiam quia homo justus sæpissimè se, & omnia sua refert in finem supernaturalem in orationibus, & aliis virtutum exercitiis, propter quod indubiè major pars operum hominis justi sunt meritoria vitæ æternæ, tam propter antiquam, quàm propter novam, & quotidianam relationem, & ordinationem eorum in Deum; tùm tandem quia universa ferè vita hominis justi est seipsum, & omnia sua in Deum referre; & falsum est homines etiam vulgares hanc conditionem ignorare, & nihil de ea audiisse, aut cogitasse; quia omnes fideles cognoscunt finem supernaturalem ad quem se debent dirigere, & nil frequentius à Concionatoribus audiunt, quam apostolicam illam exhortationem ut quæcunque faciunt, in gloriam Dei faciant: & pauperes ipsi, ac mendici, dùm eleemosinam petunt, non tam postulant, ut eis fiat ex motivo misericordiæ, quàm amoris Dei, & in ejus obsequium.

Sextò tandem obiciunt contra illam doctrinam, quod ad 301
meritum sufficiat relatio virtualis remota jam explicata hominis justi ab initio suæ justificationis; Quia, ut ex aliqua voluntate finis, quæ præcessit, dicantur alia opera sequentia ab ea procedere, & in eundem finem referri; necesse est talem voluntatem aliquo modo connecti cum sequentibus operibus, & opera cum tali voluntate, nam si prior voluntas omninò interrupta fit, nec cum operibus sequentibus connexa; nulla ratione videtur ad illa opera pertinere, ac proindè nec opera sequentia dici possunt ex tali voluntate in finem ordinari: at in proposito voluntas illa hominis justi, quà à principio vitæ, vel fuæ justificationis omnia opera sequentia in Deum retulit ob suam antiquitatem, hoc modo connexa esse nequit cum sequentibus; operibus, ergo &c. Confirm. quia si hæc voluntas sufficeret: sequeretur nullum esse verbum otiosum, si semel præcessit voluntas referendi omnia opera, & verba in Deum; sic enim referrentur in ultimum finem, neque justa utilitate caterent; sequeretur item omnia opera infidelis ex priori voluntate; qua ipse ea retulisset in idolum, vel malum finem, esse peccata non minus, quàm si talis intentio foret præsens, cùm ponatur juxtà allatam doctrinam ejusdem virtutis, ac illa. Denique quia hæc doctrina, licet admitteretur de illo, qui recipit gratiam præcedente propria dispositione extrà Sacramentum, scilicet, actu contritionis, vel charitatis: non tamen habet locum in homine, qui justificatur per baptismum in infantia; talis enim cùm non habuerit proprium actum, non potuit ordinare se, & omnia sua in Deum: neque etiam in illo, qui justificatur cum Sacramento, & attritione solùm; attitio enim non includit propositum faciendi omnia propter Deum, neque ordinandi se, & omnia sua in Deum: cum solum sit actus imperfectus doloris.

Respondeo negando minorem; non enim antiquitas illius 302
relationis impedit efficacitatem ejus in opera sequentia, ut constat ex dictis *num.* 289. quod ipsa experientia comprobatur; si enim Princeps v.g. decem, vel viginti ab hinc annis præsiari decrevit contra alium, & ex hoc motivo quotidiè nummos accumularet, præsidia sua muniret &c. quamvis multi actus toto hoc temporis tractu intercedant eum ab ea prima intentione distrahentes: si tamen nullus motus voluntatis ei contrarius interveniat, si completis decem, vel viginti annis præsiari adornat; certè nedùm nummorum accumulatio, præsidiorum munimen, & mœniorum restauratio; verum etiam hæc extrema, & ultima belli executio reduceretur in illud primum vetustissimum propositum, tanquam in causam finalem; nec tantum temporis intervallum, nec tamen illius propositi vetustas efficacitatem ejus impediret, ità igitur dicendum in re nostra, pro quo lege Scotum 4. *dist.* 6. *qu.* 6. B. D. E Ad Conf. negatur sequela primi absurdi, nam justus illa prima intentione ordinat in Deum, quæ de se sunt in eum ordinabilia, qualia sunt opera moraliter bona, non autem de se indifferentia; undè factum, vel verbum otiosum non attenditur ex fine ultimo, & remoto, sed proximo, & particulari, quo sic caret, non est ordinabile in Deum. Negatur etiam sequela alterius absurdi; nam opus bonum suapte natura refertur in Deum verum, non Idolum & quod referatur in Idolum est veluti violentia quædam, vel motus violentus; quapropter si antiqua fuit relatio, languet ejus virtus, ac omninò deficit in ordine ad referenda hæc opera in Idolum: quemadmodum ut lapis descendat, quia hic motus est illi connaturalis; satis est ille impetus antiquus à generante impressus: ut verò ascendat, quia est motus violentus, necessarius est perseverans impetus proficientis, quo exemplo utitur Doctor 4. *dist.*6. *qu.*6. in fine: est item aliud discrimen, quod justus, quàndo studiosè operatur, non revocat præcedentem intentionem: sed homo infidelis, quando dat eleemosinam ex pietate naturali, revocat præcedentem intentionem, nam dare ex pietate naturali, & propter Idolum sunt intentiones repugnantes.

Ad ultimũ dico hanc doctrinã de ordinatione virtuali remota posse etiam habere locum in illis casibus; nam qui in infantia 303
per baptismum est justificatus, ut primum pervenit ad usum rationis, & agnoscit se ordinari in Deũ, tanquã in finem supernaturalẽ, exit in actũ dilectionis Dei, quia gratia est fons aquæ salientis in vitam æternam, & charitas non est otiosa; habet etiam locum in adulto, qui justificatur per Sacramentum cum sola attritione; hæc enim virtute perseverans in instanti susceptionis Sacramenti formatur per charitatem; quarè cum includat detestationem præteritæ vitæ, & propositum novæ in obsequium Dei, licet imperfectè; cum semel est formata per charitatem, sufficiens est ad referendas in Deum omnes actiones in posterũ futuras in ipsum ordinabiles; idque sufficit, ut omnes actus boni subsequentes in justificato sint vitæ æternæ meritorii de cõdigno; Quod si tandẽ hæc doctrina de relatione virtuali remo-

ta non sufficeret, ut re vera sufficit, ad evitandum absurdum in quinta objectione illatum *n.*298. plures fore actus bonos in homine justo, qui non sint meritorii, sufficit, quod diximus *nu.* 300. absque tali relatione antiquam, quod homo justus sæpissimè se referat, & omnia sua in Deum.

QVÆSTIO DECIMA.

De revivisentia meritorum per subsequentem justificationem.

304 DE hac materia egregiè inter omnes tractat Scotus 4. *dist.* 23. *q.un.art.*2. ubi in fine articuli eam concludit famosa illa, & pissima sententia dicens; ilud, nempè meritorum revivisentiam benè debere allicere quemlibet ad semper meritoriè agendum pro viribus, quia sivè manserus, sivè lapsurus sit, non erunt ista in oblivione totaliter coram Deo; Itaque merita per peccata mortalia præcedentia jam mortificata, per subsequentem justificationem revivisceré denuò, constans est, & communis Theologorum sententiam cum Scoto *loc. cit.* quæ evidenter colligitur ex verbis Pauli ad Hæbreos 6. ubi in hunc modum loquitur lapsis post baptismum; *confidimus autem de vobis fratres meliora, non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius*, quem locum non tantùm Gregorius, Anselmus, Theophylactus, & alii Patres interpretantur de bonis operibus mortificatis per peccatum, quæ per pœnitentiâ revivisceunt in subsequenti justificatione; sed etiam Concil. Trid. *sess.*6. *cap.* 16. cùm inquit; hac igitur ratione justificatis omnibus, sivè gratiam acceptam perpetuò conservaverint, sivè amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba. Abundate in omni opere bono scientes, quod labor vester non est inanis in Domino; non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quàm ostendistis in nomine ipsius &c. quibus verbis non solùm Concilium expresè docet hoc catholicum assertum de meritorium revivisceria per illa verba *sivè amissam recuperaverint*, sed etiam sentit locum Pauli ad Hæbreos jam adductum in sensu explicato intelligi debere. Verùm quia hanc meritorum revivisentiam ab omnibus Theologis admissam, non omnes eodem modo explicant, variæ emergunt difficultates in hac materia, singillatim in hac quæstione expendendæ.

ARTICULVS PRIMVS.

An merita revivisceant quoad totum suum valorem.

305 PRima Difficultas est, an merita mortificata revivisceant quoad totum suum valorem, & jus, quod anteà habuerunt respectu præmii essentialis, & per quamcunque justificationem: Quidam apud Suarez de revivisceria meritorum *disp.* 1. *sect.*1. dixerunt merita revivisceré per subsequentem justificationem, non ad aliquod præmium substantiale beatitudinis, sed tantùm accidentale, nempe ad aliquod gaudium, quod opera illa bona aliquando exercuerint; quam opinionem ibi Suarez censet temerariam, & prorsus improbabilem. Alii verò concedunt quidem merita revivisceré etiam quoad præmium essentiale; non tamen quoad totum, sed solùm juxtà proportionem contritionis, vel dispositionis, qua quis à peccato resurgit, pro quo dicendi modo Ovvied. *tract.*9. *controv.*6. *punct.* 1. plures citat Thomistas Cajet. Capreol. Ledesma. Granad. utrumque Sotum, Valent. Henriq. & alios.

Dicendum tamen est, merita mortificata revivisceré per quamcunq; justificationem subsequentem, & non tantùm juxtà dispositionem, quam habet resurgens, verum etiam quoad totum jus, quod habuerant antè, respectu præmii essentialis. Ità Scotus *loc.cit.* & cum eo Scotistæ omnes tùm veteres, tùm Recentiores, ut Hiquæus ibidem, Hirbarnes *disp.*21. *sect.*6. Aretinus *art.*6. Poncius *dist.*45. *qu.* 7. Faber *disp.* 42. *cap.* 2. Vulpes *disp.*27. *art.*5. & sequuntur Neoterici passim Suarez, Vasquez, Tannerus, Tutrianus, Lugo. Montesin. Caspent. Amicus, Aversa, Morand & alii quamplures. Probatur, quia ut ait Poncius, talis limitatio non constat nec auctoritate, nec ratione; & quia si revivisceret tantùm juxtà dispositionem resurgentis potius illa dispositio fundaret jus ad premium, quàm merita mortificata, quę propterea non deberent dici revivisceré. Confirmatur, quia si merita revivisceunt, nulla potest assignari ratio, cur non revivisceant secundum totum suum valorem, & secundum totam suam rationem, & adæquatam per quamcunque justificationem; etenim pœnitentia, per quam redeunt, ut notat Doctor *loc.cit.* aliud non facit, quam removere prohibens, scilicet peccatum, quo erant mortificata, ac veluti consopita; ergò cum per subsequentem justificationem totaliter removeatur prohibens, dicendum est, quod revivisceant secundum totum suum valorem pristinum.

306 Tandem probatur à posteriori; quia si revivisceerent quoad præmium accidentaliter tantum, vel juxtà dispositionem resurgentis, sequeretur hominem, qui triginta, vel pluribus annis semper jejuniis, & aliis virtutum operibus se exercuit, & paulò ante mortem in aliquod mortale lapsus est, ad minora merita resurgere, quàm alter qui vix per spatium unius anni benè vixit; si ponamus casum, hunc habere merita mortificata, ut sex, illum verò, ut sex millia, & hunc justificari per actum intensum, ut sex illum verò per actum intensum, ut quatuor; etenim in tali casu qui habet merita mortificata, ut sex, & habet actum justificationis intensum, ut sex, ex vi talis justificationis consequeretur gloriam, ut sex, & reviviscentiam meritorum ut sex, ille verò qui merita habebat mortificata, ut sex milia, & justificatur est tantùm propè mortem per actum intensum, ut quatuor, consequeretur gratiam, ut quatuor, ex vi talis justificationis: & revivisceret solùm ad merita, ut quatuor, atque ideò minorem gloriam consequeretur, quàm alter, si uterque statim decederet; hoc autem esset maximum incommodum in observatione legis Christi laborantibus, quod per unum peccatum, à quo citò resurgerent, tantam jacturam facerent, & minorem gloriam consequerentur, quàm alter, qui raro in vita sua opera virtutum exercuisset, & frequenter in mortalia incidisset, ut arguunt Faber, Ovvied. & alii, & insinuatur à Scoto loco jam citato. Quod autem merita revivisceant non tantùm in ordine ad præmium accidentale, sed etiam essentiale palam deducitur ex Trid. *loc. cit.* ubi cum ait in executione divinæ justitię omnibus operibus in Deo factis in statu gratiæ respondere præmium beatitudinis, loquitur de merito bonorum operum in ordine ad essentiale præmium, ex condignitate secundum jus ad illud acquisitum, quod per superveniens peccatum non extinguitur, neque minuitur, sed tantùm mortificatur, & suspenditur, ut elegantissimè Doctor declarat *loc. cit.*

Sed Obiicies Primò, similiter se habent bona ad remunerationem, sicut mala ad punitionem, sed peccata, à quibus homo fuit per justificationem liberatus non redeunt per aliud subsequens peccatum; ergò nec merita per peccatum mortificata redeunt per subsequentem justificationem. Confirmatur, eò ipso, quod quis peccavit, se indignum reddidit omni dono divino: ergo merita non redeunt, consequentia probatur, quia nò tollitur per novam justificationem, quin homo peccaverit. Tandem arguitur ex illo Ezech. 18. *si autem averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ illius non recordabuntur*; at si bona opera revivisceerent, Deus recordaretur eorum; ergò non revivisceunt. 307

Respondeo ad prima varias esse solutiones, ut videre est apud Vasquez *disp.* 221. plausibilis tamen, ac magis recepta solutio est, quàm Scotus assignat in terminis *dist.*22. *cit. qu.un. art.*2. negando paritatem inter merita, & demerita; quia peccata per pœnitentiam re vera remittuntur, ac destruuntur; debitum autem semel absolutè dimissum nullo pacto redire potest, quia quod est legitimè compensatum secundum justitiam, non potest amplius justè exigi; cùm ergo peccatum mortaje dimissum sit secundum justitiam commutatum in pœnam temporalem, non potest hæc obligatio ad pœnam æternam amplius justè exigi, & idem dicendum de obligatione ad pœnam temporalem, postquam justè soluta est; quia igitur per pœnitantiam peccator dedit illam satisfactionem, quam Deus exigebat; ideò non tenetur eam amplius dare; nec Deus saltem regulariter potest eam exigere, quarè à primò ad ultimum peccata nequeunt redire nisi de novo committantur; Sed post meritum aliquod vita æterna dignum inquit Doctor, nunquam dignitas ista ad bonum æternum commutatur secundum justitiam in bonum temporale; igitur nunquam expirat illud jus, quousque bonum æternum sit solutum; hoc autem non solvitur in via, sed in patria; neque illud extinguitur, aut minuitur per superveniens peccatum, sed tantùm mortificatur, & suspenditur; ergo homo semper retinet jus illud ad mercedem, & præmium, & Deus manet obligatus, quando tollitur impedimentum peccati ad dandum illud præmium, quam Scotiam doctrinam fusè, & eleganter prosequitur Cardinalis de Lugo *disp.*11. *de pœnit. sec.* 1. Ad Conf. negatur consequentia, peccator enim se indignum reddit omni dono divino; quandiu per pœnitentiam non satisfacit; & licet per pœnitentiam non tollatur, quia peccaverit, sufficit nihilominus, quod ea mediante pro peccato commisso satisfecerit. Ad ultimum facilis est solutio, quę & ex ipso contextu colligitur, quod si justus iniquitatem fecerit, omnes ejus justitiæ oblivioni traduntur, quamdiù pœnitentiam non egerit; attamen eo ipso, quod per pœnitentiam resurgit, statim ejus bona opera redeunt, & merita revivisceunt, ità Matron. 4. *dist.*22. *qu.*2.

Secundò obicies: si merita per peccatum mortale non penitus extinguuntur, sed impediuntur, & mortificantur, ergo adhuc in inferno non sunt merita extincta, sed impedita, & mortificata: quarè si per impossibile Deus ab inferno damnatum eriperet, & illum justificaret, illius merita revivisceerent. Respondeo cum Matron. *cit.* negando consequentiam; quando namque dicimus per peccatum mortale merita præcedentia impediri, non autem pœnitus extingui, sermo est de peccato in statu viæ, in quo est auferibile, & remissibile non verò de peccato in statu damnationis, in quo est inauferibile, & factum est pœnitus irremissibile, cùm damnatorum sit omninò desperata salus; Cùm autem quæritur quid fieret de damnato, si ab inferno liberaretur, nùm ejus merita revivisceerent, si iterum justificaretur à peccatis; dicendum est casum implicare in terminis, quia hominem esse damnatum ad infernum formaliter idem importat, quod esse addictum pœnis æternis absque ulla redemptione; undè si Deus animam aliquam in loco inferni deponeret, ut cum aliis damnatis eisdem pœnis cruciaretur, camque aliquando ab illis pœnis liberaret, non diceretur anima illa ad infernum damnata, sed in inferno posita loco depositi, ut notat Ovvied. loco citato. 308

310 Tertiò obiicies; Si opera bona in statu gratiæ facta, & per peccatum mortificata, per subsequentem, & novam justificationem revivisceunt, idem dicendum erit de operibus bonis etiam in statu peccati factis, quod per novam justificationem revivisceant, quia non sunt amplius per peccatum impedita. Respondeo ex communi doctrina disparem esse rationem de operibus mortuis, mortiferis, & mortificatis: etenim bona opera mortificata revivisceunt secundum se tota ablato peccati impedimento, quia cùm fuerint elicita in statu gratiæ, fundarunt jus ad gloriam, & fuerunt aliquando viva: at opera mortua, quæ sunt opera bona in statu peccati exercita, numquam fuerunt viva, nec aliquod jus fundarunt ad salutem, quia non processerunt à vita, nempè à gratia, & charitate, ideo nihil habent, unde revivisceré possint; Quod eo vel maxime de operibus mortiferis est asserendum, quę sunt peccata mortalia; nam tantum abest, ut unquam possint esse viva in ordine ad salutem, ut potius mortem inferant spiritualem, quod etiam servata proportione est de venialibus dicendum, quæ ad vitam numquam prodesse possunt.

311 Quartò obiicies, quod saltem merita non revivisceant quoad totum suum valorem, quia hinc sequeretur melioris esse conditionis qui peccat, & postea resurgit, quàm si nunquam peccasset; atque ita homo ex suo peccato commodum reportaret, Consequentia probatur ex dictis, quia resurgendo resurgit semper in pluribus bonis, & meritis, quàm prius: ultra enim illa merita priora, quæ secundum totum valorem suum redire dicuntur, accedit meritum operis boni contritionis in nova justificatione, quod etiam habere debet præmium essentiale sibi correspondens. Respondet Doctor in terminis negando consequentiam, nedùm enim qui peccavit commodum ex suo peccato non reportavit, sed potius magnum incommodum, non solum quia peccavit, sed ad propositum, quia totum tempus, quo mansit in peccato, est sibi perditum, quo tempore merita potuisset multiplicare, si tunc in gratia mansisset: si enim non peccasset, habuisset jus ad præmium omnium eorum operum bonorum, quæ fecit, quandiù erat in statu peccati, quæ tamen nunquam ad præmium proderunt beatitudinis, cùm fuerint opera mortua, quia in peccato facta. Sed instat Scoto, quod stante hac Scoti responsione, quod homo semper resurgat in pluribus meritis, commodum ex peccato reportaret, & esset melioris conditionis, quàm qui non peccavit; quoniam melius esset homini justo peccare, & resurgere, quam dormire illo tempore, quà ei gratia semper augetur, vel saltem meritum in ordine ad gloriam, quod non contingit in dormiente. Negatur rursus consequentia, cùm enim indè sequitur, quod supposito casu peccati pœnitentia, & contritio affert majus bonum homini, quàm si dormisset, non autem quod absolutè sit melius peccare, & pœnitere, quia peccando periculum incurritur moriendi in peccato, quod non incurritur dormiendo; Tùm quia, ut inquit Faber, non sunt facienda mala, ut eveniant bona, & ideò non est peccandum, ut per pœnitentiam resurgendo consequamur majus bonum; sed semper in sistendum est perseverantiæ in bono; Tùm tandem ob alias rationes infrà adducendas *quæst.*11. *art.*2. *num.*375.

312 Quintò tandem obiicies contrà præcipuum fundamentum nostrum, quod erat per peccatum superveniens non extingui, nec aboleri ius præcedentium meritorum ad gloriam, sed tantùm mortificari, & impediri, atque ideò sublato per pœnitentiam peccato, statim pristinum illud jus ad gloriam in integrum revivisceré; hoc, inquam, refutat Almainus 4. *dist.*22. *quæst.*2. *art.* 2. quia Petro habenti multa merita, & postea in peccatum lapso debetur privatio beatitudinis, in qua pœna damni consistit, & quamdiù in peccato manet, jus habet ad talem privationem; ergo nullum prorsus jus habet ad beatitudinem, implicat enim eidem simul, & semel deberi duo incompossibilia: sicut quando est aliquis, cui debetur aliqua res & ille commisit crimen læsæ majestatis, ratione cujus est illa res fisco applicata; quamùis illa res, sibi debita non fuerit ei soluta, tamen non est ei amplius debita, nec jus habet in illam. Circà hujus difficultatis solutionem plura habet Hirbarnes 4. *disp.*21. *sect.*1.

Respondeo fundamentum Scoti persistere, quod cùm homo peccat, non petit jus ad præmium præcedentibus meritis debitum, sed solùm suspenditur, non enim potest aliter illud jus perire, ut notat Lugo *disp.*11. *cit.num.* 24. nisi volente Deo punire peccatum privatione perpetua illius præmii: dùm ergo Deus non habet istam voluntatem, non perit meritum, vel ius ad præmium illi debitum: peccatum verò è contra perit omninò per pœnitentiam, quia Deus habet voluntatem efficacem nunquam iraiscendi ulterius propter illud peccatum, sed potius condonando illud. Itaque ad argumentum distinguendum est Scoto *dist.*22. *q.*1. Iuste proximo, & expedito: & de remoto, sed suspenso; Petrus habens plura merita, & in peccatum lapsus, habet ius proximum ad privationem beatitudinis: sed stante prædicta Dei voluntate, quod non velit peccatum punire privatione perpetua illius præmii; adhuc retinet ius remotum, & fundamentale ad illud [si tamen licet sic loqui de demerito] neque inconvenit, eidem deberi simul, & semel duo incompossibilia diversimodè, unum, scilicet proximè, & oppositum remotè: exemplum verò illud adductum de committente crimen læsæ maiestatis, non est ad rem: quia Iudex in illo condemnando voluntatem habet puniendi crimen illud privatione perpetua omnium bonorum quomodocumque ad ipsum spectantium, quàm voluntatem non habet Deus in condemnando peccatore; Sed replicat rursus, quod hoc jus, & dominium fundatur in charitate, sed hæc destruitur per peccatum superveniens, ergo &c. Respondeo ius proximum ad præmium essentiale utique in charitate fundari, & hoc destruitur superveniente peccato; at ius remotum fundatur in præfata Dei voluntate, quæ semper permanet.

ARTICULVS SECVNDVS.

An merita revivisceant ex justitia, an verò ex misericordia Dei.

313 TRes sunt sententiæ in hac controversia, duæ extremę, & una media; primi extrema docet totum hoc in Dei misericordiam reducendum, pro qua plures citantur antiqui Alensis. D. Bonaventura, Durand. Paludanus, & Scotus; Alia extrema docet merita revivisceré ex natura rei, & opus esse merè iustitiæ eorum reviviscentiam, itaut nullo modo potuerit impediri à Deo, quod revivisceant; quarè tota Dei misericordia est, quod homo pœniteat, vel iustificetur, supposita verò iustificatione omninò necesse est merita revivisceré, quia aliòquin si ex misericordia Dei id oriretur, non haberent merita vera dignitatem; ità Vasquez *part.*2. *disp.*221. quem de more sequitur Tarrianus disputatione decima quarta de pœnit. dubio secundo, & consentire videtur ex nostris Vulpes disputatione vigesima septima artic. quarto numero sexto, ubi dicit, supposita communi lege Dei ex libero decreto suæ voluntatis semel gratiose paciscentis pro operibus bonis in gratia, & ex gratia sanctis reddere ex iustitia præmium vitæ æternæ ad æqualitatem illorum opus esse merè iustitiæ eorum revivisceentiam post lapsum iusti hominis id iustificatione à lapsu per gratiam reconciliantem.

314 Communior, & verior sententia, quæ est media inter utramque asserit merita partim ex iustitia, partim ex Dei misericordia revivisceré, neque hanc meritorum revivisceentiam ità ponendam esse ex natura rei, quin involuat maximam misericordiam; licet enim opera meritoria semper retineant condignitatem ad præmium in actu primo, & per superveniens peccatum solum suspendatur ius, quod habent, ut præmientur; tamen quod remoto statu peccati, iterum Deus teneatur priori iure ad conferendum proportionatum, & promertum præmium, provenit ex sui beneplacito, sicut enim poterat non se obligare per promissionem ad illa præmianda, ità poterat non se obligare, quoties per superveniens peccatum esset interrupta; ità Suarez *sec.* 3. *cit.* Beccanus de pœnit. *cap.* 34. *quæst.*2. Tannerus *disp.*6. *quæst.* 5. *dub.*4. Granad. *controver.* 7. de pœnit. *tract.*6. *disput.*4. Montesin *disp.*36. *quæst.* 6. Ovvied. *controver.*6. *cit. punc.*2. Morandus *tract.* 4. *quæst. ultima* Poncius *loc.cit.* Card. de Lugo *disp.* 11. *sec.*1. Aversa *qu.* 6. *sec.* 2. Amicus *tom.*8. *disp.*8. *sec.*1. Caspen. de pœnit. *disp.* 1. & passim Scotistæ omnes cum Scoto *loc cit. dist.* 22. *quæst. un. art.*2. ubi in terminis hanc mediam docuit sententiam; ibi namque proponens dubium ab initio articuli, quare merita mortificata revivisceant per subsequentem justificationem, non verò peccata præcedentia jam remissa per subsequens peccatum duplicem assignat responsionem.

315 Inquit primò dici posse uno modo, quod hæc est superabundans bonitas, & misericordia divina; quia bona semper vivunt in ejus acceptatione, bona inquam, meritoria, & semper esset eis præmium retribuendum, nisi esset dispositio recipientis propter novam culpam; sed mala totaliter extinguuntur, quia nec in se, nec in intellectu, vel voluntate divina